

Google

OBSERVATIONES ANNAEANAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QUAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN


ACADEMIA ALBERTO-LVDOVICIANA FRIBVRGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNVS RIEGER
(HEIDELBERGENSIS.)

FRIBVRGI BRISIGAVIAE
MDCCCLXXXIX
FORMIS WAGNERIANIS.


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

OBSERVATIONES ANNAEANAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QUAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN

ACADEMIA ALBERTO-LVDOVICIANA FRIBVRGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNVS RIEGER
HEIDELBERGENSIS.

FRIBVRGI BRISIGAVIAE
MDCCCLXXXIX
FORMIS WAGNERIANIS.



OTTONI HENSE

S.

1*





Plus quam septem lustra sunt praeterlapsa postquam Fridericus Haasius dicendi consuetudinem Annaeanam fere neglectam iacere conquestus est. nec adeo multi inventi sunt qui „laudabilia H. Stephani studia“ continuarent vel egregium quod ipse dederat Haasius exemplum sequerentur. quod facile apparet dolendum esse non solum propter ipsum Senecam, sive ingenium eius mirabile pernoscere voles quod penitus intellegi non poterit nisi sermonis et orationis legibus diligentissime observatis, sive tutiora circumspicies subsidia ad crisin Annaeanam promovendam verborumque contextum emendandum. maioris enim momenti est quod linguae latinae historiam, quam strenue incohatam ut magis magisque exaedificent hodie enituntur, perfici posse desperandum est, donec argenteae quam dicunt latinitatis florentissimi auctoris sermo non ita pervestigatus erit, ut etiam de singulis certum admitti possit iudicium. cuius modi causis facile ego adductus sum, ut syntaxis Annaeanae aliquod mihi caput eligerem accuratius pertractandum, cum praesertim praeceptor meus O. Hensius, qui consilio suo benigne me adiuvit, commonere me non desineret, ut in Senecae philosophi sermone observando studium meum collocarem.

Ne vero vires meas, quas sentio quam sint exiguae, inceptum egrediatur, eo me hodie contineo ut de coniunctionum aliquot causalium („quod“ „quia“ „quoniam“ „quoniam quidem“ „quando“ „quando quidem“) apud Senecam philosophum usu accuratius disseram. quod con-

silium etiam hoc habebat commodi ut ex eis quae alii de Quintiliani harum coniunctionum usu, de Taciti, de Suetonii disputaverant, in meam observandi rationem non nihil fructus redundaret. nam ut in universum Kuehneri grammaticae latinae uberioris (vol. II part. 2 ed. Hannov. a. 1879) rationes in disponenda materia secutus sum, ita eis quae in eandem rem collegerunt Car. Reussius (de coniunctionum causalium apud Tacitum usu Hal. Sax. a. 1876), Edm. Guentherus (de coniunct. causal. apud Quintilianum usu Hal. Sax. a. 1881), Aem. Trachmannus (de coniunct. causal. apud Gaium Suetonium Tranquillum usu Hal. Sax. a. 1886) haud mediocriter me adiutum esse grato animo profiteor. quamquam non deesse facile apparebit, quibus a via quam illi inierunt recesserim non modo quod suum quisque modulum requirit scriptor aliisque aliae succrescere solent observationes, sed etiam quod grammaticae illorum rationes non ubique mihi probatae erant. sed de hac quidem re penes alios iudicium erit. denique libet mentionem facere Schmalzii syntaxis latinae Nordlingae a. 1885 publici iuris factae, quam saepius non sine emolumento inspexi (Iv. Muelleri „Handbuch d. klass. Alterthumsw.“ II p. 240—364).

Cum novae librorum manu scriptorum collationes mihi non praesto essent, in exemplis adferendis Haasianam editionem, quam Fickerti apparatu critico inniti notum est, adhibui exceptis eis libris, quorum recensio interim recentiorum hominum doctorum curis ad saniores rationes revocata est. librorum igitur „de beneficiis“ et „de clementia“ editione usus sum a Gertzio curata (Berol. a. 1876) eiusdemque „dialogorum“ recensione quae decem annis post prodiit Hauniae. „apocolocynthosin“ citavi ad Francisci Buecheleri recensionem Petronii saturarum editioni tertiae adiectam (Berol. a. 1882), qui quantum profuerit etiam „epistularum“ crisi ex arte factitandae epistulis

aliquot ex Bambergensi codice et Argentoratensi editis nemo nescit. in epistulis etiam G. Windhausii libelli perutilis qui inscribitur „varietas lectionis ad L. A. Senecae epistulas e cod. Bambergensi enotata“ (ed. Darmst. a. 1879) rationem habui nec non dissertationis quam scripsit Aem. Hermes (Meursae a. 1876). haec quidem ad epistularum partem alteram (88—124) pertinent. codicum autem Parisinorum, qui in recensenda priore parte pro fundamento habendi sunt, novam collationem instituit Aem. Chatelain Lutet. a. 1877 (*revue de philol. nouv. série* I p. 101 ss.). nec neglegenda erant ea librorum subsidia, quae in „quaestionibus naturalibus“ in censum venire nuper edocuit Georgius Mueller Bonnae a. 1886. denique optime de librorum „quomodo amicitia continenda sit“ „de vita patris“ „de remediis fortuitorum“ reliquiis recensendis meriti sunt G. Studemundus et O. Rossbachius (*Breslauer philol. Abhandl.* II a. 1888), quorum huic praeterea librorum „de clem.“ partis amissae novum fragmentum in lucem protrahere contigit dissertatione Rostochiensi quae inscribitur „disquisitionum de Senecae filii scriptis criticarum capita II“ Vratislaviae ed. a. 1882.

In commemorandis singulis locis eam sum secutus rationem, ut paucos tantum integros adscriberem, qui ad usum particularum illustrandum maxime idonei mihi esse videbantur; reliquos numeris indicasse contentus fui. quibus praemissis in medias res eamus atque initium sumamus ab coniunctionis „quia“ usu.

§ 1.
Quia [1]).

Quamquam concedendum est „quia“ coniunctionem in universum apud Senecam eodem prope quo apud ceteros

[1]) in „quia“ particulae origine enucleanda duplicem ingressi sunt viam homines docti. alii, ut Schmalzius „lat. Synt.“ § 254

scriptores modo adhiberi, non nulla tamen ex huius particulae usu poterunt proferri, quae dicendi generi Annaei proprio tribuenda sint. eo autem uti ordine placet in hoc capite, ut primum vis coniunctionis et notio accurate definiatur, dein altera proferantur paragrapho quae ad specialem particulae usum pertinent, velut quo modo „quia“ cum aliis societatem ineat particulis, qua ratione cum membris coniungatur ipsis quoque causalibus aliter tamen formatis, quo pacto ad „quia“ coniunctionem via quasi muniatur pronominibus correlativis, ut alia hoc loco taceam quae cum cura tractantes operae pretium facturi esse videamur.

I Particula „quia“ causa adfertur vera certaque. cuius modi causae grammatici, ut Kuehnerus l. c. § 205, 1 et Kruegerus „Gramm. d. lat. Spr.“ § 597, 2 duas distinguunt species, quarum altera quae philosophis audit causa „realis“ (eine Ursache) spectat ad res quae extra nos sunt positae, altera quae appellatur causa movens (ein Beweggrund) ad nosmet ipsos pertinet, id est in nostra versatur voluntate. at si verum quaeris logici magis haec distinctio emolumenti est quam mere grammatici. nam ut philosophum scire multum interest, utrum causa aliqua „realis“ an „movens“ habenda sit, ita grammaticam spectanti rationem multo minoris videbitur hoc discrimen momenti, si tamen „quia“ particula pariter ad utrumque causae genus adhibetur exprimendum. quod facile intellegetur si luculentiora aliquot utriusque generis exempla adscripsero. quibus perlustratis reliqua sufficiet solis indicasse locorum numeris ex ordine librorum disposita.

„quia“ accusativum plur. neutr. pronominis relativi esse censuerunt, cf. „quiapropter“, alii, ut Stolzius in libro qui inscribitur „lat. Lautlehre“ Nordlingae ed. a. 1885 § 91 b (Iv. Muelleri „Handb.“ II p. 216) „quia“ instrumentalem casum arbitrati sunt stirpis relativae „qui“ collata voce sanskrita kâyā.

Atque ut primum eluceat „quia“ particula introduci causam „realem“, hosce e larga exemplorum copia propono locos: d. I 4, 8: „Quare deus optimum quemque aut mala valetudine aut luctu aut aliis incommodis adficit? quia in castris quoque periculosa fortissimis imperantur“ e. q. s. d. III 18, 5: „quia unus innocens adparuerat, duo peribant“. d IV 10, 6: „scit (sc. sapiens) paucissimos omni aevo sapientis evadere, quia condicionem humanae vitae perspectam habet“. de clem. I 2, 1: „deinde habet haec (sc. clementia) in persona quoque innocentium locum, quia interim fortuna pro culpa est“. de ben. I 1, 4: „multos experimur ingratos, plures facimus, quia alias graves exprobratores exactoresque sumus, alias leves et quos paulo post muneris sui paeniteat“. n. qu. I 1, 10: „sequitur ergo, ut infra illas ista nascantur et cito intercidant, quia sine fundamento et sede certa sunt“. ep m. 7, 5: „quia occidit ille, meruit, ut hoc pateretur“. libri „quomodo amicitia continenda sit“ frgm. III: „notitia animi certior esse debet, quia vultus incertus est“.

His opponere aliquot liceat exempla, in quibus per eandem particulam causa denotatur movens: d. I 6, 6: „quia non poteram vos istis (sc. tristibus rebus) subducere, animos vestros adversus omnia armavi“. d. III 12, 3: „Pater caedetur: defendam; caesus est: exsequar, quia oportet, non quia dolet“. de clem. I 15, 1: „Trichonem equitem Romanum memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus graphiis in foro confodit“. de ben. I 9, 1: „expediam dignum nihilo minus huic viro munus, et quia de tuo non possum, de meo dabo“. de ben. II 30, 1: „haec, mi Liberalis, necessaria credidi, et quia loquendum aliquid de maximis beneficiis erat, cum de minutis loqueremur, et quia“ e. q. s. de ben. VII 17, 2: „malo beneficium proiciam, bono reddam, huic quia debeo, illi, ne debeam“. n. qu. IV 13, 9: „unguentarios Lacedaemonii

urbe expulerunt et propere cedere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderent". ep. m. 21, 1: „quid sit autem, quod te impediat, quia parum ipse dispicis, dicam". ep. m. 123, 6: „quam multa autem paramus, quia alii paraverunt, quia apud plerosque sunt".

Ne igitur longus sim, in reliquis quae in censum veniunt exemplis afferendis satis habebo locos tantum indicare subtiliore illa philosophorum distinctione neglecta: d. II 11, 2; III 4, 2; III 7, 1; III 9, 4; III 12, 3 (quia unusquisque e. q. s.); III 13, 3; III 13, 3; III 17, 7; III 18, 6; III 18, 6; III 19, 3; III 19, 4; III 20, 6; IV 2, 1; IV 10, 6 (non irascetur sapiens e. q. s.); IV 11, 1; IV 15, 1; IV 16, 3; IV 19, 4; IV 19, 4; IV 19, 5; IV 20, 3; IV 21, 1; IV 26, 2; IV 26, 4; IV 28, 3; IV 29, 2; IV 31, 1; IV 31, 3; IV 31, 7; IV 31, 8; V 2, 1; V 5, 8; V 8, 1; V 12, 5; V 12, 7; V 20, 2; V 21, 5; V 26, 1; V 34, 3; V 37, 5; V 39, 4; VI 2, 5; VI 7, 4; VI 22, 3; VII 7, 1; VII 11, 2; VII 11, 4; VII 12, 1; VII 12, 3; VII 13, 1; VII 24, 1; VII 26, 5; VIII 8, 1; VIII 8, 3; IX 2, 8; IX 2, 11; IX 3, 2; IX 6, 2; IX 7, 4; IX 11, 1; IX 11, 3; IX 15, 6; X 4, 4; X 8, 1; X 16, 2; XI 10, 2; XI 12, 2; XII 12, 6; XII 14, 2; XII 18, 1; XII 20, 1; apocol. VIII 3; de clem. I 2, 2; I 5, 7; I 8, 6; I 12, 4; I 12, 4; II 4, 2; II 7, 2. de ben. I 1, 10; I 2, 2; I 3, 5; I 3, 9; I 4, 3; I 4, 4; I 13, 2; I 14, 3; II 1, 3; II 4, 2; II 14, 1; II 19, 1; II 19, 2; II 24, 3; II 27, 4; II 29, 5; II 32, 2; II 32, 3; II 34, 2; III 1, 2; III 1, 2; III 3, 4; III 5, 1; III 6, 2; III 9, 1; III 11, 1; III 11, 1; III 12, 4; III 16, 1; III 16, 2; III 19, 1; III 19, 2; III 19, 3; III 29, 3; III 32, 1; III 35, 1; III 35, 4; IV 3, 1; IV 8, 1 et 2; IV 9, 2; IV 9, 3; IV 13, 3; IV 14, 3; IV 15, 3; IV 16, 1; IV 20, 3; IV 21, 4; IV 24, 2; IV 24, 2; IV 26, 2; IV 27, 1; IV 32, 2; IV 34, 2;



IV 34, 3; IV 38, 1; IV 39, 1; IV 39, 3; V 8, 2; V 8, 4; V 8, 6; V 9, 4; V 9, 4; V 10, 1; V 12, 2; V 13, 4; V 14, 1; V 19, 1; V 19, 9; V 25, 1; VI 8, 1; VI 8, 3; VI 12, 2; VI 13, 5; VI 14, 3; VI 15, 1; VI 16, 1; VI 16, 2; VI 19, 5; VI 19, 5; VI 20, 2; VI 21, 2; VI 21, 3; VI 23, 1; VI 23, 3; VI 23, 3; VI 26, 1; VI 26, 2; VI 32, 2; VI 37, 3; VI 43, 2; VII 1, 6; VII 4, 8; VII 6, 1; VII 7, 3; VII 12, 2; VII 12, 4; VII 16, 4; VII 16, 6; VII 28, 2; nat. qu. I prol. 5; I 1, 11; I 2, 4; I 2, 5; I 2, 7; I 2, 7; I 3, 1; I 3, 1; I 3, 6; I 3, 7; I 3, 8; I 3, 11; I 4, 1; I 5, 6; I 5, 9; I 5, 11; I 6, 2; I 6, 6; I 7, 3; I 7, 3; I 8, 2; I 8, 3; I 8, 6; I 9, 1; I 9, 2; I 11, 2; I 12, 1; I 13, 2; I 14, 4; I 14, 4; I 14, 6; I 15, 3; I 16, 4; I 16, 9; I 17, 2; II 1, 2; II 1, 3; II 1, 4; II 4, 1; II 4, 2; II 10, 2; II 18; II 23, 2; II 27, 4; II 29; II 32, 2; II 32, 5; II 34, 3; II 35, 2; II 37, 3; II 38, 3; II 38, 4; II 41, 2; II 43, 1; II 52, 1; II 52, 1; II 52, 1; II 53, 2; II 57, 3; II 58, 1; II 58, 2; II 58, 3; III praef. 10; III 6, 2; III 9, 3; III 10, 3; III 11, 2; III 11, 5; III 11, 6; III 15, 7; III 16, 5; III 24, 3; III 25, 1; III 25, 1; III 26, 1; III 26, 2; IV praef. 12; IV 2, 24; IV 2, 27; IV 2, 27; IV 3, 5; IV 5, 1; IV 11, 4; IV 11, 5; IV 13, 9; IV 13, 11; V 1, 2; V 1, 3; V 9, 1 (restituendum videtur cum G. Muellero de L. Annaei Senecae quaest. nat. p. 49: „quia aer vere aquosus est: ex pluribus“ e. q. s.); V 9, 2; V 10, 2; V 12, 2; V 12, 2[1]); V 14, 2; V 16, 5; VI 3, 2; VI 12, 2; VI 13, 3; VI 15; VI 31, 1; VII 8, 3; VII 14, 3;

---

[1]) suadente G. Muellero l. c. p. 39 praefero codicum ELB lectionem: „et in nos cadit (sc. spiritus) vehemens et acer, quia (Haasius: quod) non fusus neque per apertum venit, sed laborat et iter sibi vi ac pugna parat“.

VII 14, 4; VII 16, 2; VII 17, 3; VII 19, 2; VII 20, 4[1]); VII 27, 4; VII 29, 3; VII 31, 3; ep. m. 3, 1; 6, 5; 7, 3; 7, 8; 9, 9; 12; 13, 5; 23, 10; 38, 1; 42, 3; 47, 2; 47, 15; 50, 9; 51, 1; 53, 8; 54, 3; 54, 7; 55, 9; 58, 10; 58, 27; 58, 31; 59, 9; 59, 18; 63, 13; 63, 15; 64, 3; 65, 24; 66, 29; 66, 48; 67, 5; 71, 3; 73, 3; 74, 7; 74, 10; 75, 10; 76, 1; 77, 3; 77, 5; 78, 1; 78, 14; 78, 16; 78, 23; 81, 23; 81, 29; 81, 32; 82, 15; 82, 17; 83, 4; 83, 15; 85, 11; 85, 18; 85, 31; 87, 7; 87, 7; 87, 18; 87, 23; 87, 26; 88, 2; 88, 31; 88, 33; 89, 19; 92, 12; 94, 11; 94, 16; 95, 21; 95, 31; 95, 61; 96, 2; 97, 3; 97, 10; 97, 16; 102, 5; 102, 7; 102, 12; 102, 13; 102, 18; 104, 9; 104, 11; 104, 12; 104, 25; 105, 5; 106, 7; 108, 1; 108, 27; 110, 5; 111, 1; 113, 4; 113, 5; 113, 9; 116, 8; 116, 8; 117, 2; 117, 6; 118, 6; 119, 16; 123, 6 (cum plures e. q. s.); 124, 8; de rem. fort. X, 1; fragm. de clem. p. 35 Rossb.: „cuiuscunque sit, quia non potuit dare crimen, putat (Rossbachius coniecit: potuit) auferre“. quibus exemplis addantur haec: d. III 6, 4 ubi recte Hauptius: „sed ut documentum omnium sint et quia aliis vivi noluerunt prodesse, morte certe eorum res publica utatur“, cum in A sit „qui/alicui“, in L „qui alic^{i}“ (i. e. qui alicui), optimoque opinor iure hanc lectionem in textum recepit Gertzius. n. qu. VI 19, 1 optimis libris ELB haec confirmatur lectio: „Metrodorum Chium, quia necesse est, audiamus“, omittit „quia“ Haasius. ep. m. 118, 16 Windhausius et Madvigius codicis B auctoritatem secuti optimo iure restituerunt: „summa adiectio quare plurimum facit vel exigua? quia non auget sed implet“. aberravit Haasius, cum scriberet: „non [quia] auget, sed implet“[2]).

---

[1]) hoc quoque loco adstipulor Muellero l. c. p. 45 retinendam esse censenti codicum ELB scripturam: „multos cometas non videmus, quia (Haasius: quod) obscurantur radiis solis“.

[2]) d. V 37, 1 legendum est cum Gertzio: „solutior est post

Haec particulae „quia“ significatio ut usque valet ita tum quoque manet immutata, cum „quoniam“ coniunctionis vices obtinere videtur. nam quamvis nihil impedimento esset scriptori quominus „quia“ coniunctione induceret nonnumquam etiam causas omnibus notas et concessas, tamen tenendum est „quia“ coniunctione id minime significari. si igitur eius modi locis „quia“ nonnunquam vertitur per „da ja“, „da zugestandenermassen“, haec vis ab interpretibus ex ipsa causarum natura infertur nec tamen convenienter verae coniunctionis significationi. velut in hoc exemplo d. II 8, 1: „praeterea iustitia nihil iniustum pati potest, quia non coeunt contraria“ causa quae supponitur „quia non coeunt contraria“ sane talis est qualis per „quoniam“ exprimi potuisset, sed scriptorem hanc causae naturam significare supersedisse ipse docet adhibita „quia“ particula. nec aliter de reliquis huius generis exemplis iudicandum est, quorum numeris saltem appositis non nulla subicio: d. II 11, 2; VI 21, 4; VII 13, 5; VII 15, 1; de clem. II 6, 1; de ben. I 1, 8; I 1, 13; I 6, 1; II 24, 1; III 3, 3; III 30, 1; IV 8, 2 (quia nec natura e. q. s.); IV 28, 1; V 1, 2; V 4, 2; V 8, 5; V 10, 1; V 12, 5; VII 3, 3; VII 8, 2; nat.

---

vinum licentia, quibus (*quia* A) ne sobriis quidem pudor est“ ubi Haasius: „quia“. apocol. p. 229, 36 ed. Buechel. codicis S (= Sangallensis) lectio est restituta: „tum Iuppiter Herculem, qui (Fickertus: quia) totum orbem terrarum pererraverat et nosse videbatur omnes nationes, iubet ire“ e. q. s. de ben. I 12, 3 hunc in modum emendavit Gertzius: „sit in beneficio sensus communis. tempus, locum observet, personas, quibus momentis quae damus grata et ingrata sunt“. Haasius: „quia momentis quaedam“; N: „quia momentis quaedã“. de ben. V 14, 2 probanda est Gertzii coniectura: „sic latro est, etiam antequam manus inquinet, qui (ubi „quia“ cod. N) ad occidendum iam armatus est“ e. q. s. ep. m. 66, 33 restituit Muretus haud refragante Kochio: „pares autem actiones inter se esse dico, qua honestae sunt“ e. q. s. Haasius librorum lectionem praebet: „quia“.

qu. I 3, 14; I 6, 5; I 8, 4; II 5, 1; II 9, 4; II 13, 2; II 13, 4; II 14, 2; II 34, 2; II 38, 4; II 48, 1; III 11, 4; IV 11, 5; V 1, 1; V 4, 3; VI 13, 4; VII 23, 2; ep. m. 3, 3; 14, 8; 17, 9; 24, 12; 36, 9; 66, 16; 66, 28; 71, 3 (necesse est e. q. s.); 71, 7; 74, 11; 74, 24; 97, 14; 102, 12 (ita pro eo est e. q. s.); 107, 4; 109, 13; 113, 6; 116, 3 et 4; 121, 18; denique vix equidem commemorarem etiam in eis locis quibus ad novam orationis partem transitus fieri videtur, semper eandem particulae vim agnosci causalem, nisi statui vidissem a Guenthero l. c. p. 9 „quia“ in eiusmodi locis ad „quoniam“ particulae vim adspirare. immo etiam in his enuntiatorum nexus semper manet mere causalis vi particulae propria nullo modo mutata. exempli gratia unum affero locum: ep. 14, 17: „aurea te stipe implebo et quia facta est auri mentio, accipe quemadmodum usus fructusque eius tibi esse gratior possit“.

II Iam ut ad singula transeamus, exordium fiat ab eo coniunctionis „quia“ usu, quo complures introducuntur causae a scriptore per particulam „quia“ alteri „quia“ oppositam. cuius modi generis dicendi tria exempla repperi haec: d. V 9, 4: „ideo, quibus stomachus suspectus est, processuri ad res agendas maioris negotii bilem cibo temperant, quam maxime movet fatigatio, s i v e q u i a calorem in media compellit et nocet sanguini cursumque eius venis laborantibus sistit, s i v e q u i a corpus adtenuatum et infirmum incumbit animo“. prorsus eadem ratione „sive quia — sive quia“ leguntur ep. m. 49, 4; 78, 8.

Verum haec orationis aequalitas non ubique servata est. haud raro enim causae alicui aut per ablativum substantivi vel pronominis aut per enuntiationem praepositionalem expressae nova adnectitur causa addito enuntiato ex „quia“ suspenso. quae inconcinnitas, quam Taciteae

orationi valde esse familiarem Draegerus observavit „Tacit. Synt.“ § 233, apud Senecam philosophum si „quia“ coniunctionem respexeris novies legitur: „deinde quia“ praecedente substantivi ablativo n. qu. II 10, 3: „inferiora quoque tepent primum terrarum halitu, qui multum secum calidi adfert, deinde quia radii solis replicantur“ e. q. s. „sed quia“ causam negative expressam corrigit d. III 9, 4: „nam si quis poenam exigit non ipsius poenae avidus, sed quia oportet, non est adnumerandus iratis“. d. IX 17, 8: „Liberque non ob licentiam linguae dictus est inventor vini, sed quia“ e. q. s. n. qu. VI 9, 2: „sed non ob hoc iudicant, sed quia“ e. q. s. ep. m. 58, 36: „non propter ipsum (sc. dolorem) — sed quia“ e. q. s. de ben. IV 18, 4: „ut ingratus animus non per se vitandus sit — sed quia“ e. q. s. d. XII 1, 4: „non fiducia ingenii — sed quia“ e. q. s. de ben. VI 23, 2: „nec imbecillitate permanent — sed quia“ e. q. s. bis deprehendimus „primum quia“ sequente enuntiato quod sui quidem iuris est, sed cum prioribus per „deinde“ cohaerens. ep. m. 69, 1: „mutare te loca et aliunde alio transsilire nolo: primum quia tam frequens migratio instabilis animi est. deinde plurimum remedia continuata proficiunt“. ep. m. 67, 5: „ego dissentio. quare? primum quia fieri non potest, ut aliqua res bona quidem sit, sed optabilis non sit. deinde si virtus optabilis est, nullum autem sine virtute bonum est, omne bonum optabile.“ in „quod“ coniunctionis usu, ut hoc statim comparandi causa adiungam, liberiorem hanc rationem semel tantum repperi.

Latius patet is usus, quo particula „quia“ enuntiatum causale introducens ad praecedentia refertur correlativa: a) quinquagies ter particula „quia“ spectat ad correlativum „ideo“. ut aliquot saltem locos exscribam: d. X 16, 2: „mortem saepe ideo optant, quia timent“. d. XII

9, 3: „ne tu pusilli animi es et sordide se consolantis, si ideo id fortiter pateris, quia Romuli casam nosti“. d. XII 12, 7: „indignatur exul aliquid sibi deesse, cum defuerit Scipioni dos, Regulo mercennarius, Menenio funus, cum omnibus illis quod deerat ideo honestius suppletum sit, quia defuerat?“ de ben. III 36, 3: „non ideo vicerunt, quia occupaverunt“. n. qu. IV praef. 4: „fortasse enim ideo, quia patet, petitur“. ep. m. 87, 22: „itaque malum quidem est sacrilegium et furtum, sed ideo, quia plura mala facit quam bona“. eandem rationem exempla sequuntur haece: d. III 12, 6; IV 10, 8; IV 11, 2; IV 11, 4; VI 22, 1; IX 11, 2; X 7, 5; de ben. III 19, 4; III 29, 3; III 30, 2; III 34, 1; IV 34, 4; IV 40, 2; V 5, 4; VI 23, 4; VII 4, 3; VII 4, 4; VII 4, 4; VII 12, 6; nat. qu. I 5, 11; I 5, 12; II 45, 3; II 48, 1; III 7, 2; III 10, 4; IV 8; IV 12, 1; VI 26, 4; ep. m. 4, 3; 30, 10; 50, 4; 54, 7; 55, 10; 59, 11; 61, 2; 63, 8; 63, 9; 76, 17; 87, 26; 88, 37; 94, 24; 94, 54; 107, 6; 108, 28; 119, 5; 119, 6; 121, 7.

Commemoratione dignum est quod in huius generis exemplis non nulla exstant ita comparata ut dubitare possis utrum „ideo“ vox ad priora magis spectet an ad membrum quod subicitur a „quia“ suspensum. conferas velim d. I 5, 7: „fata nos ducunt et quantum cuique temporis restat, prima nascentium hora disposuit. causa pendet ex causa. privata ac publica longus ordo rerum trahit: ideo fortiter omne patiendum est, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt.“ de ben. IV 34, 4: „ceterum (sc. sapiens) ad omnia cum exceptione venit: „si nihil inciderit, quod impediat“. ideo omnia illi succedere dicimus et nihil contra opinionem accidere, quia praesumit animo posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat.“ idem cadit in d. III 6, 4; de ben. II 21, 3; III 7, 5; V 12, 5; n. qu. III 6, 2; VII 12, 4; VII 21, 1;

ep. m. 33, 7; 71, 2; 97, 16. puto autem cohaerere hunc usum cum ubertate quadam stili Annaeani aut abundantia. suffecisset enim opinor ad sententiam exhauriendam haud raro membrum ab „ideo“ incipiens quo indicatur, quid prioribus efficiatur. sed scriptor sibi ipse quasi non satisfaciens denuo causam addit eius quam in superioribus commemoraverat non absimilem. nihil igitur mirum quod in eiusmodi exemplis de distinguendi ratione inter editores cautos ceteroqui et peritos non ubique convenit. quod ut uno alterove exemplo patefiat, de ben. II 21, 3 sic interpungit Haasius: „est aliquis dignus, a quo beneficium accipiam, sed danti nociturum est: ideo non accipiam, quia ille paratus est mihi cum incommodo aut etiam periculo suo prodesse“. contra Gertzius sic: „est ... nociturum est; ideo ... prodesse“. ibid. V 12, 5 inter se coniuncta legis apud Haasium: „quamdiu autem malus est, nemo illi dare beneficium potest, quia bona malaque dissentiunt nec in unum eunt: ideo nemo illi prodest, quia quicquid ad illum pervenit, id pravo usu corrumpitur“, dissociata eadem utque ab „ideo“ nova incipiat periodus apud Gertzium: „quamdiu ... eunt. ideo nemo ... corrumpitur“. nec dubium videtur quin clarior futura fuerit ratio grammatica si asyndeti minus amans fuisset Seneca. velut in hoc enuntiato de ben. VII 4, 3: „et totus ager † aut ullius rei publicae est, pars deinde suo domino quaeque censetur. ideoque donare agros nostros rei publicae possumus, quamvis illius esse dicantur, quia aliter illius sunt, aliter mei“, ubi spreto asyndeto non „ideo“ sed „ideoque“ dixit Annaeus, vix quisquam dubitabit quin „ideo“ voce via muniatur ad sequens „quia“, certe editores ante „ideoque“ plenius distinguunt omnes (*censetur. ideoque* Fickertus Haasius, *censetur; ideoque* Gertzius). deinde paucis tractemus locum de ben. V 19, 5: „Etiamnunc, cum filium tuum servavi, ad genua

procumbis, dis vota solvis tamquam ipse servatus; illae voces exeunt tibi: ‚Nihil mea interest, an me servaveris; duos servasti, immo me magis.‘ Quare ista dicis, si non accipis beneficium? quia, et si filius meus pecuniam mutuam sumpserit, creditori numerabo, non tamen ideo ego debuero. quia et, si filius meus in adulterio deprehensus erit, erubescam, non ideo ego ero adulter.“ apparet enim enuntiatis ex „quia“ suspensis causam supponi verbis prioribus. ad verba autem „non tamen ideo ego debuero“ cogitandum esse hoc fere „quia creditori numeravero“ et similiter in proximis.

b) sedecies in enuntiato principali occurrit correlativum „ob hoc“: d. III 6, 5: „ob hoc nec ira (sc. bono convenit) quia poena irae convenit“. reliqui qui huc pertinent loci sunt hi: de ben. I 3, 4; IV 15, 4; VI 21, 3; VI 23, 8; VI 31, 10; n. qu. I 2, 3; I 13, 2; II 39, 3; III 5; V 10, 3; VII 9, 1; ep. m. 51, 1; 87, 24; 94, 37; 94, 67.

c) ter „quia“ coniunctio referenda est ad correlativum „ob hoc ipsum“: d. X 13, 4: „Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos vocabatur“. de ben. I 1, 3; VI 31, 8.

d) bis mihi occurrit in enuntiato principali „non ob aliud“: d. VII 9, 1: „sed tu quoque“ inquit „virtutem non ob aliud colis, quam quia aliquam ex illa speras voluptatem“. alter locus hic est de ben. VI 23, 2. „non ob aliam causam“ habes n. qu. I 3, 12: „varietas autem non ob aliam causam fit, quam quia pars coloris sole est sparsa, pars in nube illa“. „ob nullam aliam causam, quam quia“ legimus de ben. IV 16, 2: „Fixum illud est, a quo in cetera probationes nostrae exeunt, honestum ob nullam aliam causam, quam quia honestum sit, coli“.

e) semel praecedit correlativum „hoc ipso“: ep. m. 117, 27: „quis nescit hoc ipso non esse bonum id, quod

futurum est, quia futurum est". semel „illo": ep. m. 33, 2: „sed illo magis adnotantur, quia rarae interim interveniunt, quia insperatae." sed hoc exemplum aptius adnumerabitur eis quibus

f) correlativum „eo" praecedit cum gradu comparativo sociatum. „eo magis" recurrit in his locis: d. IX 11, 5; de ben. I 12, 1; VI 29, 2; n. qu. IV praef. 12; alius comparativus legitur: de ben. VII 16, 4; ep. m. 55, 1; 80, 6.

Paulo deinde diutius versemur necesse erit in „non quia . . . sed quia" formula tractanda. etenim oritur maioris momenti quaestio, quam quae verbo possit profligari. mirum enim quod usurpatur „non quia" hic indicativo modo, illic coniunctivo sequente, si causa aliqua subesse negatur veraque in eius locum substituitur. ac de modo, qui verba „non quia . . ." sequatur, hanc protulit Reussius (l. c. p. 14) observationem: „si enim aliqua res, quae per se iusta ac vera vel est vel certe habetur, causa alicuius rei esse negatur, indicativus (scl. excepta oratione obliqua), sin autem aliquid tantum cogitati et quasi per coniecturam inventi, coniunctivus adhibendus est". quaeri igitur refert, num Reussii lex Senecae quoque consuetudini conveniat. quod ut dilucide diiudicari possit, ipsa perlustremus exempla oportet:

a) indicativum post „non quia" notavimus undetricies[1]). atque ut proficiscamur ab ep. m. 87, 26: „eodem modo ex sacrilegio lucrum fit, non quia turpe et sceleratum est sacrilegium, sed quia et lucrum habet", quam suum teneat locum indicativus manifestum est. nam sacrilegium turpe sane et sceleratum est, sed non ideo quia turpe et sceleratum est, etiam lucrum praebet. ep. m.

---

[1]) non huc spectant loci, ubi legitur „non tantum quia" ut ep. m. 78, 16: „nec tantum quia pugnant, ista patiuntur, sed ut pugnent".

110, 15: „contempsi divitias, non quia supervacuae, sed quia pusillae sunt“. indicativum merito scriptor posuit. nam divitiae sapienti sunt supervacuae. hoc solum negatur illud „divitias esse supervacuas“ causam esse, cur eas scriptor contempserit. eidem rationi adscribenda videntur haec exempla: d. VII 24, 3: „potest itaque pecunia etiam intra limen suum diffundi et liberalitatem exercere, quae non quia liberis debetur, sed quia a libero animo proficiscitur, ita nominata est“. de ben. I 3, 7: „ergo et Mercurius una stat, non quia beneficia ratio commendat vel oratio, sed quia pictori ita visum est“. IV 16, 1: „Idem isti gratiam referre ipsos fatentur, non quia honestum est, sed quia utile“. IV 36, 1: „si exiguum est, dabo, non quia dignus es, sed quia promisi“ e. q. s. n. qu. I prol. 6: „virtus enim ista, quam adfectamus, magnifica est, non quia per se beatum est malo caruisse, sed quia animum laxat“ e. q. s. ep. m. 66, 26: „nemo enim patriam, quia magna est amat, sed quia sua“. 81, 20: „gratus sum, non quia expedit, sed quia iuvat“. 92, 11: „Quidni petam? non quia bona sunt (sc. bona valetudo et quies et dolorum vacatio), sed quia secundum naturam sunt“ e. q. s. haec igitur quae attuli exempla Reussianae observationi non refragantur. sed restant alii loci eique satis multi qui cum illa non concordent. quos ad unum omnes transscribere operae pretium videtur. de ben. V 19, 6 legimus: „dico me tibi obligatum pro filio, non quia sum, sed quia volo me offerre tibi debitorem voluntarium“. apparet sententiam esse hanc: „obligatus pro filio non sum“. ergo illud „me obligatum esse pro filio“ est aliquid, quod cogitatur vel coniectura est inventum nostroque sermoni accomodate sic reddetur: „nicht weil ich, wie man meinen könnte, für den Sohn verpflichtet bin“ etc. sed vide alterum exemplum d. VII 26, 5: „haec dicet ille, cui sapienti*a* contigit, quem animus vitiorum immunis in-

crepare alios, non quia odit, sed in remedium iubet". manifestum est sensum inesse verbis hunc: „ille, cui sapientia contigit, non odit". exspectandus igitur est modus coniunctivus, Reussii si vera est observatio. cum his locis compono tertium qui est d. II 12, 3: „et aliquando (sc. sapiens) illos tamquam pueros malo poenaque admonet [afficit], non quia accepit iniuriam, sed quia fecerunt et ut desinant facere". sensus hic est: „sapiens iniuriam non accipit". ergo illud „sapientem accepisse iniuriam" cogitatione adsecutus est scriptor cum ipsa veritate non conveniens. eiusdem vero monetae sunt haece exempla: de ben. III 7, 3: „aut in illo (sc. quid magnificum est), qui reddit, non quia vult, sed quia necesse est?" IV 26, 2: „sic omnes malos intemperantes dicimus, avaros, luxuriosos, malignos, non quia omnia ista singulis magna et nota vitia sunt, sed quia esse possunt". IV 32, 2: „in illius respectum iste populo praesideat, non quia scit aut potest, sed quia alius pro illo meruit". VI 4, 1: „multa sunt, propter quae beneficium debere desinimus, non quia ablatum, sed quia corruptum est". VI 4, 4: „colonum suum non tenet quamvis tabellis manentibus, qui segetem eius proculcavit, qui succidit arbusta, non quia recepit, quod pepigerat, sed quia, ne reciperet, effecit". VI 16, 4: „quid ergo est, quare istis multum debeamus? non quia pluris est, quod vendiderunt, quam emimus, sed quia" e. q. s. VI 25, 1: „his ingratis et repudiantibus beneficia, non quia nolunt, sed ne debeant, similes sunt". n. qu. I prol. 16: „quanti aestimas ista cognoscere et rebus terminos ponere? quantum deus possit . . . et a magno artifice prave multa formentur, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, saepe inobsequens arti est?" V 17, 1: „sic casus sex dicimus, non quia omne nomen sex recipit, sed quia nullum plures quam sex". VI 2, 9: „si cadendum est, cadam orbe concusso, non quia fas

est optare cladem publicam, sed quia ingens mortis solatium est" e. q. s. ep. m. 58, 28: „manent enim cuncta, non quia aeterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis". ep. m. 79, 2: „potest hoc accidere, non quia montis altitudo descendit, sed quia ignis evanuit". 87, 31: „Posidonius, ut ego existimo, melius, qui ait divitias esse causam malorum, non quia ipsae faciunt aliquid, sed quia facturos inritant". 88, 20: „quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant". 106, 1: „tardius rescribo ad epistulas tuas, non quia districtus occupationibus sum" e. q. s. agmen claudat d. IV 25, 3: „ubi animum simul et corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia mollis patitur". qui locus hoc cum ceteris discrepat quod ad membrum pendens ab „non quia" ex eis quae sequuntur „patitur" est supplendum.

Omnes igitur quae his in locis causae esse negantur omnino non verae sunt, immo cogitatione effectae. unde manifestum est illam de qua supra monuimus legem in Senecae philosophi scriptis non valere, cum etiam ubi coniunctivum exspectamus neglecta illa lege indicativum adhibuerit. nihil igitur video causae cur retineamus quod Haasio auctore legimus ep. m. 26, 4: „et quis exitus est melior, quam in finem suum natura solvente dilabi? non quia aliquid mali <sit> ictus et e vita repentinus excessus, sed quia" e. q. s. multo erit melius Annaeanaeque scribendi rationi accomodatius, si cum G. Hessio (curae Annaeanae Altonae ed. a. 1887 p. 15) reponetur „est", quod addunt nonnulli codices post „mali". aliam sanandae orationis viam ingressi sunt Madvigius adv. crit. II p. 472 atque H. A. Kochius observat. crit. in L. A. Senecam Naumburgi ed. 1874 p. 20, quorum alter proposuit: „continet", alter: „inflicturus est". quod perti-

net ad modum consentio, sententiam si spectas adstipulari non possum.

Sed accedendum ad locum quem adhuc consulto praetermisi ep. m. 123, 6: „utebamur enim illis non quia debebamus, sed quia habebamus". quod exemplum licet non discrepet cum superioribus, tamen ex reliquorum numero eximendum putavi, quia hoc loco scriptor, ut indicativum poneret, etiam alia causa potest esse adductus, concinnitatis studio. notum est autem quantopere in deliciis habuerit cum alia concinnae orationis adminicula, tum quod rhetores vocant homoeoteleuton. ut paucis defungar exemplis: de ben. II 24, 3: „periculorum repetendorum, excipiendorum, repellendorum". ep. m. 52, 10: „tacete, favete, praebete". de ben. III 14, 3: „dignitatem, securitatem, sanitatem". industriosius disseruit de hoc usu O. Rauschningius in libello quem conscripsit „de latinitate L. Annaei Senecae philosophi" Regimonti Prussorum 1876 p. 26 sqq.

b) coniunctivus post „non quia" apud Senecam quinquies tantum comparet atque ita ut causa introducatur a veritate abhorrens: d. III 6, 4: „hoc uno medentibus erit dissimilis, quod illi . . . facilem exitum praestant, hic damnatos cum dedecore et traductione vita exigit, non quia delectetur ullius poena . . ., sed ut" e. q. s. VIII 3, 1: „hoc Stoicis quoque placere ostendam, non quia mihi legem dixerim nihil contra dictum Zenonis Chrysippive committere, sed quia res ipsa patitur me ire in illorum sententiam". XII 20, 1: „ceterum, quia necesse est . . . cogitationes tamen tuas subinde ad me recurrere nec quemquam nunc ex liberis tuis frequentius tibi obversari, non quia illi minus cari sint, sed quia naturale est" e. q. s. n. qu. V 17, 1: „placet autem duodecim ventos esse, non quia ubique tot sint, sed quoniam nusquam plures sunt". ep. m. 122, 14: „causa autem

est ita vivendi quibusdam, non quia aliquid existiment noctem ipsam habere iucundius, sed quia" e. q. s. semel causa non vera affertur per enuntiatum pendens ab „non ut", particula finali: d. IV 28, 5: „aut dulcedine urbanitatis prolapsus est, aut fecit aliquid, non ut nobis obesset, sed quia consequi ipse" e. q. s.

Restat ut dicam de enuntiato quod veram causam continet et ita plerumque formatur ut pendeat ab „sed quia". hac ratione in Senecae scriptis „sed quia" corrigendi causa undequadragies inveni usurpatum. exempla modo attuli. semel autem vera causa adiungitur per „sed quoniam" (n. qu. V 17, 1); semel per „sed ut", particulam finalem (d. III 6, 4); semel per „sed ne" (de ben. VI 25, 1); semel infertur brevitate memorabili per „in" praepositionem cum accusativo iunctam (d. VII 26, 5: „non quia odit, sed in remedium"); bis invenimus „sed" sequente enuntiato per se posito: d. IV 5, 2: „non enim quia accepit iniuriam nocet (sc. feritas), sed parata est, dum noceat, vel accipere". VII 9, 2: „nec quia delectat, placet, sed, si placet, et delectat". cui exemplo hoc addere iuvat etiam alia causa insigne ep. m. 106, 1: „tardius rescribo ad epistulas tuas, non quia districtus occupationibus sum: — hanc excusationem cave audias: vaco et omnes vacant, qui volunt. neminem res sequuntur. ipsi illas amplexantur et argumentum esse felicitatis occupationem putant: — quid ergo fuit, quare non protinus rescriberem ei, de quo quaerebas? veniebat in contextum operis mei". postquam igitur causam non veram attulit scriptor „non quia . . . sum", parenthesin interserit longiorem. qua ad finem perducta denuo quaerit „quid ergo fuit . . . quaerebas" et nunc demum iustam causam addit veramque per „veniebat . . . mei".

Coniunguntur ergo ut breviter quae supra exposuimus complectamur:

vicies novies:	„non quia“ cum ind.	—	„sed quia“
semel:	„non quia“ cum ind.	—	„sed quia . . . et ut“
ter:	„non quia“ cum ind.	—	„sed“ sequente enuntiato per se posito
semel:	„non quia“ cum ind.	—	„sed ne“
semel:	„non quia“ cum ind.	—	„sed in“ cum accusativo
ter:	„non quia“ cum coni.	—	„sed quia“
semel:	„non quia“ cum coni.	—	„sed quoniam“
semel:	„non quia“ cum coni.	—	„sed ut“
semel:	„non ut“	—	„sed quia“.

In modis qui sequuntur „quia“ coniunctionem tractandis rem paucis possum absolvere. in universum quidem Seneca cum aliorum scriptorum dicendi consuetudine congruit. longe plurimis locis indicativum adiunxit, coniunctivi modi exempla, ubi post „quia“ exsistunt, ut d. IV 31, 1 („iniqua quaedam iudicant homines, quia pati non debuerint, quaedam, quia non speraverint“) orationis obliquae ratione facile explicantur. de modorum post „non quia“ usu modo disputavimus.

§ 2.

Quod.

In coniunctione „quod“ (accus. pronominis relativi intellegunt, cf. Schmalzium l. c. § 248) duae sunt consociatae significationes, explicativa et causalis, ita tamen, ut facile altera in alteram transeat. quam rationem nullo datur negotio observare, ubi enuntiatum ex „quod“ particula pendens, ut in verbis affectuum, causalis ablativi locum tenet, cuius modi in exemplis noster quoque sermo plerumque utramque admittit interpretationem „dass“ et „weil“. quamquam igitur particulae „quod“ significatio re vera manet una eademque, tamen ad coniunctionis usum

exhauriendum accuratiusque illustrandum haud inutile videbitur distinguere notionem explicativam et causalem. ceterum eandem quam iam supra sum ingressus disputandi viam servare mihi liceat etiam Kuehnero comprobatam.

1) Atque exordium sumimus ab eis locis, in quibus „quod" coniunctio appositionem quandam addit aut substantivo aut substantivo cum pronomine aliquo coniuncto aut pronomini demonstrativo. nostro interpretamur sermone „dass". perspicuitati ut satisfiat aliorum exemplum ita sequi expedit, ut singuli discernantur casus quibus nomen illud enuntiati principalis aut pronomen effertur, quamquam hanc distinctionem patet ad immutandam ipsam coniunctionis „quod" significationem nihil valere.

a) Videamus igitur de substantivis. apte dicit Reussius l. c. p. 23: „quod substantivo generaliter iam indicatum est, id enuntiato per „quod" addito specialiter exponitur". genetivi aut dativi enuntiatione causali ex „quod" suspensa explanati exempla apud Senecam non repperi. in nominativo autem casu substantivum quod explicatur collocatum est his: de ben. III 3, 1: „praeter hanc causam aliae quoque sunt, quae nobis merita non numquam maxima evellant. prima omnium ac potentissima, quod novis semper cupiditatibus occupati non, quid habeamus, sed quid petamus, *spectamus*". altera dein causa hoc loco additur per „sequitur autem ut" e. q. s. ep. m. 117, 10: „unum enim illi deerat, quominus bonum esset, quod incorporale erat". d. IV 19, 3: „causa cur hic potissimum adsignetur irae locus, non alia est, quam quod in toto corpore calidissimum pectus est".

Accusativi haec exsistunt exempla: d. XII 2, 3: „unum habet adsidua infelicitas bonum, quod quos semper vexat, novissime indurat". eiusdem generis sunt de ben. VII 11, 2; ep. m. 47, 5; 58, 23; 94, 7.

In ablativo substantivum positum repperi n. qu. IV 8:

„hanc enim plus habere caloris ex quatuor causis: una, quod omnis terrarum evaporatio, cum multum in se fervidi aridique habeat, hoc est calidior quo recentior. altera, quod radii solis a terra resiliunt et in se currunt“. deinde ut varietati orationis consulatur sic pergit scriptor: „tertia causa est, quod magis superiora perflantur“ e. q. s.

Substantivum a praepositione „ex“ pendens explicatur n. qu. IV 2, 9: „iuvatque agros duabus ex causis et quod inundat et quod oblimat“. huc pertinet etiam d. X 13, 8.

Substantivum coniunctum est cum praepositione „de“ d. X 1, 1: „Maior pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aevi gign*a*mur (sequor Paulyi emendationem: gignimur A), quod haec tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant“. d. X 2, 5: „queruntur de superiorum fastidio, quod ipsis adire volentibus non vacaverint“.

b) Enuntiatum ex particula „quod“ aptum explanationem continet substantivi cum pronomine coniuncti.

Nominativi haec habeo exempla: d. IV 22, 3: „hoc humanae naturae vitium suspectum notumque nobis sit, quod, qu*ae* inviti audimus, libenter credimus“. n. qu. II 59, 13: „et inter cetera hoc quoque commodum est eius, quod exspectationem suam antecedit“. n. qu. VI 24, 5; ep. m. 78, 10; 102, 18; n. qu. I 2, 10: „causa autem raritatis haec est, quod“ e. q. s. ep. m. 6, 1: „et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt“. ep. m. 97, 15; ep. m. 82, 15: „illa quoque res morti nos alienat, quod haec iam novimus, illa, ad quae transituri sumus, nescimus“ e. q. s. d. X 16, 3; d. VII 1, 3: „atqui nulla res nos maioribus malis inplicat, quam quod ad rumorem componimur“. non inepte huic classi subiungendos puto nonnullos locos, in quibus substantivum ex reliquis enuntiati verbis ad pronomen facile subauditur. in censum veniunt:

n. qu. I 6, 1: „inter cetera argumenta et hoc erit, quod numquam maior arcus dimidio circulo adparet“ e. q. s. d. VIII 1, 2: „nam inter cetera mala illud pessimum est, quod“ e. q. s. n. qu. VI 18, 6: „etiamnunc et illud accedit his argumentis quod“ e. q. s. VI 2, 6: „nullum solatium maius est mortis quam ipsa mortalitas. nullum autem omnium istorum, quae extrinsecus terrent, quam quod“ e. q. s.

In accusativo ponitur substantivum cum pronomine conexum n. qu. III 11, 5: „causam siccitatis hanc ponit, quod obriguerit constricta tellus nec potuerit imbres inagitata transmittere“. n. qu. VII 5, 5: „hanc habentes differentiam, quod“ e. q. s. n. qu. I prol. 12; II 37, 2; de ben. IV 17, 4. ep. m. 56, 3: „quamvis audiam cuidam genti hanc unam fuisse causam urbem suam transferendi, quod“ e. q. s. d. V 23, 7: „nec ullam aliam habuerat causam desinendi, quam quod Caesar coeperat“ e. q. s. ep. m. 73, 2: „nec ullum habet malum cupiditas maius, quam quod“ e. q. s. 121, 9: „nec ullum maius indicium habemus cum hac illa ad vivendum venire notitia, quam quod“ e. q. s. accusativus cum infinitivo obiecti vice fungitur in his: d. IX 10, 6: „sed hoc ipsum testentur maximum onus suum esse, quod aliis graves esse cogantur“. ep. m. 30, 16: „illud quidem aiebat tormentum nostra nos sentire opera, quod tunc trepidamus“ e. q. s.

Ablativus exstat ep. m. 93, 10: „hac spe, inquit sapiens ille, fortius exeo, quod patere mihi ad deos meos iter iudico“. quod legitur ep. m. 76, 32: „hoc laboramus errore, sic nobis imponitur, quod neminem aestimamus“ e. q. s. a ceteris ita paululum discrepat ut verba „sic nobis imponitur“ paulo liberius inculcata sint inter illa „hoc laboramus errore quod“. n. qu. III 7, 4: „illo quoque argumento haec opinio refellitur, quod“ e. q. s. ep. m. 18, 8: „illo nomine te suspice, quod“ e. q. s 67, 3:

„eo nomine quod"; d. X 20, 4: „nullo alio nomine quam quod". haec extrema si respexeris intelleges opinor quomodo corrigendum sit d. IX 10, 2, ubi cum in A legatur „quā cū scir&", recte me iudice proposuit iam Muretus: „nullo melius nomine de nobis natura meruit, quam quod cum sciret, quibus aerumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem invenit" e. q. s.; cui equidem non praetulerim quod Gertzio placuit „quae cum sciret" e. q. s.

Substantivum cum pronomine coniunctum pendere a praepositione „ex" hoc uno comprobare possum exemplo, ep. m. 29, 1: „raro ad nos venit, nulla alia ex causa quam quod audire verum timet" e. q. s. denique hic addantur duo exempla quibus legitur „ob nullam aliam causam, quam quod". de clem. I 10, 3: „bene illi parentis nomen convenisse fatemur ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas . . . nulla crudelitate exsequebatur" e. q. s. de ben. III 32, 3: „ceteros enumerare longum est, qui durant ob nullam aliam causam, quam quod" e. q. s.

c) Arte cum exemplis modo commemoratis ea cohaerent, ubi enuntiatum particulae „quod" subiectum praecedentis pronominis correlativi vim dilatat. saepissime autem in nominativo casu pronomina posita sunt. legimus „hoc . . . quod" tredecies: d. V 27, 2: „deinde si cetera animalia hoc irae tuae subducit, quod consilio carent, eodem loco tibi sit, quisquis consilio caret". d. VIII 1, 2; IX 2, 15; IX 14, 4; X 9, 3; X 13, 5; XI 9, 4; de clem. I 25, 2; de ben. III 7, 1; ep. m. 44, 1; 55, 7; 84, 2; 90, 2. extremus locus eo insignis est quod verba „nunc enim hoc in illa pretiosum atque magnificum est" tribus membris ita excipiuntur, ut ter per anaphoram qua summopere delectatur Seneca ponatur „quod": „quod non obvenit, quod illam sibi quisque

debet, quod non ab alio petitur". quo cum exemplo apte componetur n. qu. VII 1, 3, ubi similis observatur dicendi ratio. nam post verba „quanto illa maiora sunt" quinquies effertur „quod" particula per anaphoram repetita: „quod sol totidem, ut ita dicam, gradus quot dies habet et annum circuitu suo claudit, quod a solstitio [ad minuendos dies vertitur, quod a solstitio] statum inclinat et dat noctibus spatium, quod sidera abscondit, quod terras, cum tanto maior sit illis, non urit, sed . . . fovet, quod lunam numquam implet nisi adversam sibi neque obscurat". unco damnavit verba „ad minuendos . . . solstitio" Haasius. semel repperi „hoc ipsum quod": de ben. III 30, 4. bis exstat „hoc unum . . . quod": n. qu. III 27, 12; VII 6, 3; „unum hoc tantum . . . quod" legitur n. qu. I 7, 3: „unum hoc tantum solvendum mihi est, quod non visitur in ista virgula solis imago" e. q. s. „illud . . . quod" occurrit sexies: d. XII 14, 1; n. qu. II 53, 1; VII 7, 1; ep. m. 50, 7; 59, 11; de rem. fort. XV 1. pronomen „ille" semel etiam plurali numero ponitur; legitur „illa . . . quod" n. qu. VII 1, 3, de quo loco iam supra monui. „id unum . . . quod" invenimus n. q. VI 2, 3; interrogativum „quid" in enuntiatione primaria positum est ter: d. VI 19, 3: „quid igitur te, Marcia, movet? utrum quod filius tuus decessit, an quod non diu vixit?". ep. m. 44, 7; 85, 22; semel reperitur „quid est aliud . . . quam quod": n. qu. II 32, 7: „quid est porro aliud, quod errorem maximum incutiat peritis natalium, quam quod paucis nos sideribus adsignant" e. q. s. semel praecedit „nescio quid": de ben. VII 30, 2: „nescio quid est, quod eum, cui tantum debuit, ferre non potuerit". sagaciter perspexit Rossbachius l. c. p. 147 „haec esse verba tertii cuiusdam hominis, qui cum ingratus ille ei, a quo beneficium accepit, convicietur, mirabundus in illa verba prorumpit". semel occurrit „nihil

aliud . . . quam quod": ep. m. 24, 4: „damnationem suam Rutilius sic tulit, tamquam nihil illi molestum aliud esset, quam quod male iudicaretur". bis „nihil": n. qu. VII 5, 4; ep. m. 22, 14.

Accusativum pronominis correlativi haud raro legimus. „hoc . . . quod" Seneca usurpavit sedecies: d. X 13, 6: „num et hoc quoiquam curare permittes, quod primus L. Sulla in circo leones solutos dedit" e. q. s. d. X 18, 5; XII 8, 1; XII 8, 1; XII 15, 2; de ben. II 27, 2; n. qu. III 6, 1; VI 1, 8; VII 7, 2; ep. m. 12, 4; 39, 2; 65, 18; 113, 16; 114, 12; 119, 15. „hoc ipsum . . . quod" adhibuit ter: de ben. III 29, 8; VI 14, 2; ep. m. 58, 26. „illud . . . quod" bis repperi: n. qu. II 31, 2; VI 6, 2. semel praecedit „nil" cum comparativo ep. m. 70, 14: „nil melius aeterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos".

Pronomen ablativo casu elatum his observatur exemplis. „hoc . . . quod" legimus semel n. qu. I 10: „similis varietas in coronis est, sed hoc differunt, quod coronae ubique fiunt" e. q. s. „hoc uno . . . quod" bis: d. III 6, 4; XI 9, 1[1]). „eo . . . quod" bis: d. V 23, 7: „tulit hoc,

---

[1]) nondum inter viros doctos convenit quid scribendum sit d. IV 8, 3, quo loco Haasius hanc exhibet lectionem: „ferarum iste conventus est, nisi quod illae inter se placidae sunt morsuque similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur. hoc autem uno ab animalibus mutis differunt, quod illa mansuescant alentibus, horum rabies ipsos a quibus est nutrita, depascitur". cod. L praebet: „hoc uno", A fere „hoc in uno". Gertzius (stud. crit. in S. dial. p. 85) haec verba „hoc — depascitur" a lectore in margine adscripta esse putat, unde librarii errore inter Senecae verba recepta sint. sed malim Vahleno adstipulari, qui hanc sententiam, modo recte superioribus adnectatur, nihil habere incommodi contendit (cf. editionis Kochianae praef. p VII). idem tamen vir doctus cum pro „hoc uno" scribi voluit „hoc omnino", num verum reppererit vix ausim decernere. conicio „hoc immane . . . differunt."

ut dixi, Caesar patienter, ne eo quidem motus, quod" e. q. s. d. XII 7, 8. confidenter adicio etiam ep. m. 39, 4: „at haec (sc. nimia) eo, quod (Haasius: eo, quo) superfluunt, nocent". confirmatur scriptura „eo quod" auctoritate codicum *p* et *P*, cf. Aem. Chatelain *revue de philol. nouv. série* I (Paris. a. 1877) p. 107. „illo . . . quod" deprehendimus: ep. m. 124, 14; „quo alio . . . quam quod" reperitur d. III 11, 5; „nullo magis . . . quam quod" de ben. II 25, 1: „nullo magis Caesarem Augustum demeruit et . . ., quam quod, cum patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit" e. q. s.

Iam enumerandi sunt loci ubi „quod" refertur ad pronomina post praepositiones posita. invenimus ergo: „ad hoc . . . quod" n. qu. VI 30, 4; „ad hoc unum . . . quod" ep. m. 22, 12; „in illud . . . quod" n. qu. II 41, 1: „in illud dissentiunt, quod fulmen a Iove dicunt mitti" e. q. s. „praeter hoc quod" bis occurrit: d. VI 23, 1; ep. m. 81, 29. „praeter id quod" legitur de clem. II 2, 2. „ex hoc . . . quod" exstat novies: de ben. I 6, 2; VI 30, 1; n. qu. II 6, 6; III 11, 6; VI 24, 3; VI 28, 1; VI 32, 11; ep. m. 79, 2; de rem. fort. XVI, 1. „ex eo . . . . quod" item repperi novies: n. qu. IV 2, 12: „et ex eo quantus sit aestimari potest, quod ingentia animalia . . . continet". ibid. IV 3, 1; V 10, 1; ep. m. 42, 7; 82, 10; 99, 30; 121, 5; 121, 19; 123, 4. „in hoc . . . quod" quater: ep. m. 1, 2: „in hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus". ep. m. 54, 5; 81, 18; 114, 26. „in eo . . . quod" conspicitur ep. m. 22, 10. „in illo . . . quod" ep. m. 90, 11: „in illo quoque dissentio a Posidonio, quod . . . iudicat" e. q. s. „inde . . . quod", ut hoc adiciam, in conspectum venit d. V 34, 2: „inde, inquam, vobis ira et insania est, quod exigua magno aestumatis".

Saepissime autem pronomen demonstrativum omissum videmus in enuntiato principali. nominativus „id" deest

tricies septies: d. II 18, 4: „nec impune cessit primipilari, quod Caligulam dixerat". d. III 15, 3: „nil minus quam irasci punientem decet, cum eo magis ad emendationem poena proficiat, si iudicio *in*lata est. inde est, quod Socrates servo ait" e. q. s. eandem observamus rationem d. IV 2, 5; IV 28, 8; IV 34, 3; VI 12, 1; VI 23, 2; XII 9, 7; XII 19, 6; de ben. III 17, 2; III 33, 1; IV 10, 3; VI 27, 6; VII 19, 4; n. qu. I 1, 1; I 1, 13; I 5, 11; III 19, 3; III 20, 4; IV 8; IV 13, 8; V 8, 2; VI 24, 3; ep. m. 5, 8; 32, 1; 42, 2; 50, 3; 74, 11; 74, 11; 83, 26; 90, 1; 94, 31; 95, 58; 101, 8; 108, 31; 115, 8. d. II 1, 3 legitur „quodque" altero „quod" praecedente: „et tibi indignum videbatur, quod illi dissuasuro legem toga in foro esset erepta quodque a rostris usque ad arcum Fabianum . . . omnis alias insanae multitudinis contumelias pertulisset" [1]). loci quos in prioribus perlustravimus eiusmodi sunt, ut enuntiata a „quod" pendentia subiecti vice fungantur. verum etiam ubi obiecti partes illa suscipiunt, demonstrativum pronomen a Seneca haud raro supprimi in enuntiato primario conspicuum faciunt haec duodeviginti exempla: d. III 2, 4: „gladiatoribus quare populus irascitur et tam inique, ut iniuriam putet (sc. id), quod non libenter pereunt". de ben. IV 6, 6; VII 31, 3 [2]);

[1]) in dissertatione quae inscribitur „animadversiones Annaeanae grammaticae" Bonnae ed. a. 1878 p. 54 Hermannus Klammer eandem statuere vult rationem d. VII 1, 3: „malis nos implicat quod . . . quodque". sed fugit virum doctum corrupta esse haec verba minimeque idonea quibus repetitae particulae exemplum nanciscamur. A praebet: „atqui nulla res nos maioribus malis inplicat, quam quod ad rumorem componimur, optime rati ea, quae magno adsensu recepta sunt quodque exempla bonis multa sunt, nec ad rationem sed ad similitudinem vivimus". lectioni depravatae primus probabilem adhibuit medelam Gertzius, cum coniecit: „optime rati ea quae magno adsensu recepta sunt quorumque exempla nobis multa sunt" e. q s.

[2]) in aprico est unice veram esse codicis C scripturam, quam

n. qu. I 4, 2; II 7, 1; VI 4, 2; VI 29, 1; ep. m. 5, 1; 24, 5; 63, 14; 78, 3; 79, 15; 86, 5; 88, 40; 93, 8; 101, 14; 102, 10; 94, 38, quem locum Rossbachio adstipulor sic scribenti l. l. p. 156: „in hac re dissentio a Posidonio, qui: improbo, inquit, quod Platonis legibus adiecta principia sunt“ e. q. s. [1]). ablativus „eo“ est supplendus ter decies: d. I 3, 9: „veniamus ad Regulum: quid illi fortuna nocuit (sc. eo), quod illum documentum fidei, documentum patientiae fecit?“. prioribus non dispares sunt loci hi: d. I 3, 12; II 2, 3; IV 28, 1; XI 10, 1; de ben. I 9, 1; III 35, 3; n. qu. I 16, 8; I 17, 1; II 9, 4; V 4, 2; VI 8, 2; ep. m. 74, 22. Taciteum usum illustrans hoc observat Reussius l. c. p. 24: „plerumque in enuntiatis instrumentalibus, ubi hac significatione (indem, dadurch dass) utitur, „quod“ sine correlativo positum est“.

Haud absonum erit pauca hoc statim loco interserere de „nisi quod“ formulae usu. „nisi quod“ apud Senecam offendimus octies post enuntiatum, in quo sententia inest negativa, quinquies post sententiam affirmativam. in vi autem ac potestate huius dictionis explicanda facere non possum quin Wexio assentiar haec docenti ad Taciti Agric. 6: „*nisi quod* dicunt Latini, cum limitant pro-

---

Kochio praeeunte (observat. crit. in L. Ann. Sen. Numburgi ed. 1874 p. 18) in textum recepit Gertzius: „alius solem, cui debemus quod inter laborem quietemque tempus divisimus, quod non tenebris mersi confusionem aeternae noctis effugimus, qui (cod. N: quod) annum cursu suo temperat et corpora alit, sata evocat, percoquit fructus, saxum aliquod . . . adpellat“.

[1]) ep. m. 95, 53 Haasius et reliqui editores dederunt haec: „ille versus et in pectore et in ore sit: homo sum, humani nihil a me alienum puto. habeamus quod in commune nati sumus“. propius ad verum accessisse mihi videtur H. A. Kochius hoc proponens in Fleckeiseni annali 1875 p. 723: „<ita> habeamus: in commune nati sumus“. cf. ep. m. 40, 2: „sic itaque habe“ et d. II 6, 8: „ergo ita habe“.

nuntiatam aliquam sententiam, ita ut quod universe et absolute enuntiatum est, exceptionem aliquam habere et aliquatenus restringendum esse adiciant". grammaticam huius usus rationem paulo etiam accuratius explanare studet Schwarzius cum sic disserit ad Plin. paneg. 86, 5: „ego vero puto hanc ipsam locutionem primum quidem speciem quandam pleonasmi prae se ferre, sicuti istae particulae „nisi si" „quod si" etc., sed re ipsa magis ellipsin involvere, per quam auctor se quasi corrigat: atque adeo illam particulam exceptivam „nisi" pro „sed" sive „verum" poni; particulam autem „quod" esse et manere causalem". vereor tamen ne non desit huic explicationi quod stare non possit. suo enim iure iam Trachmannus (l. c. p. 12) „quod" particulam talibus in enuntiatis „esse et manere causalem" infitias ivit ceterum Schwarzii commentationem secutus. ego nollem ad ellipsin confugissent viri docti, figuram istam prioribus mirum quantum comprobatam inmodiceque ad quosvis nodos grammaticos solvendos adhibitam. diu est enim postquam ellipsis usus ad saniorem rationem revocatus est angustioribusque finibus circumscriptus (cf. e. gr. Rumpel *Casuslehre* Halis a. 1845 prooem. Paul *Principien der Sprachgesch.* ed. alt. Halis a. 1886 c. XVIII). nusquam autem ubicunque in Senecae scriptis „nisi quod" nobis occurrit, ellipsi opus esse adfirmare audeo exemplis perlustratis. ut ordiamur ab ep. m. 94, 17: „inter insaniam publicam et hanc quae medicis traditur nihil interest, nisi quod haec morbo laborat, illa opinionibus falsis", idem valere hoc enuntiatum apparet ac si scriptor dixisset: „inter insaniam publicam et hanc ... hoc tantum interest quod" e. q. s. cui loco nullo negotio eos consimiles esse intellegitur in quibus „nisi quod" adnectitur enuntiato interrogativo cui vis inest negativa. ep. m. 94, 31: „quid enim interest inter decreta philosophiae et praecepta, nisi quod illa

generalia praecepta sunt, haec specialia?“ sententiam patet nihil differre ab hac: „inter decreta philosophiae et praecepta hoc tantum interest quod“ e. q. s. accipe alterum locum: d. III 11, 2: „quid Cimbrorum Teutonorumque tot milia superfusa Alpibus ita sustulit, ut tantae cladis notitiam ad suos non nuntius sed fama pertulerit, nisi quod erat illis ira pro virtute?“ sensus est: „Cimbrorum Teutonorumque tot milia . . . nihil sustulit nisi ira, quae illis erat pro virtute“. eandem rationem valere videmus de ben. VI 27, 6; ep. m. 115, 8; n. qu. II 9, 4; VI 8, 1. semel autem tali in enuntiato „quod“ causalem prae se fert naturam, qua de causa locum ex ceterorum numero eximendum censui: n. qu. II 59, 13 „nemo unquam timuit fulmen nisi quod effugit“.

His contrarii sunt ei loci, in quibus enuntiatum principale vim habet affirmativam: d. IV 8, 3: „ferarum iste conventus est, nisi quod illae inter se placidae sunt morsuque similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur“. de ben. I 10, 4: „infra omnia ista ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato sunt, sine quo vix ullum magnum facinus adcrevit“. ep. m. 46, 3; 47, 6; 103, 2; sed ne in his quidem ellipsis vere agnoscitur. immo si quid video hoc potius ut statuas sana ratio postulat: dicendi formula qua primum post enuntiata negativa utebantur ita invaluit et quasi obduruit ut paulatim etiam post membra negativa usurpari coepta sit.

Formula „excepto eo quod“ bis invenitur: d. VI 1, 2: „quem non minus quam liberos dilexisti, excepto eo quod non optabas superstitem“. ep. m. 25, 2: „ne de altero quidem satis fiduciae habeo, excepto eo quod adhuc peccare erubescit“ e. q. s.

Multo frequentius „quod“ particula apud Senecam infertur post verba „addo“, „adicio“, „accedit“, cum

scriptor non sine pondere dicit rem quam additurus est vere locum habere. saepius autem repeti eiusmodi formulas non mirabitur qui indolem Annaeanae orationis rhetoricam respexerit et eloquentiam quasi exundantem. „adde quod“ comparet semel n. qu. IV 2, 24: „adde quod testimonium eius turba testium coarguitur“. „adice quod“ duodecies usurpavit: d. II 17, 4: „adice, quod genus ultionis est eripere ei, qui fecit, factae contumeliae voluptatem“. d. V 5, 7; IX 15, 3; de clem. I 2, 1; II 6, 1; de ben. VI 17, 2; VI 23, 4; n. qu. III 7, 3; III 30, 3; ep. m. 74, 15; 78, 12; 94, 37 (his adice, quod e. q. s.). „adice nunc, quod“ legitur tricies quinquies: d. II 9, 2: „adice nunc, quod iniuriam nemo inmota mente accipit, sed ad sensum eius perturbatur“. d. V 26, 1; V 27, 5; VII 7, 2; VIII 8, 1; XI 7, 4; de clem. I 8, 6; de ben. III 7, 4; VI 20, 2; VI 23, 1; n. qu. II 26, 9; II 28, 2; V 3, 2; V 3, 3; V 11, 2; VI 26, 5; VII 9, 4; ep. m. 15, 2; 33, 10; 40,4; 73, 3; 73, 8; 76, 25; 82, 18; 83, 11; 85, 12; 87, 24; 94, 16; 94, 26; 95, 9; 100, 6; 105, 4; 109, 10; 114, 13; 117, 33; „adicere his longum est, quod“ legimus d. V 19, 5; „adicias etiam licet quod“ n. qu. III 10, 1. „accedit huc, quod“ notavimus d. V 8, 3: „accedit huc, quod non tantum exemplo melior fit, qui cum quietis hominibus vivit“ e. q. s.

Post verba „praetereundi“ in Senecae scriptis „quod“ particulam non repperi, neque magis post verba „sentiendi“ aut „declarandi“ quibus a scriptoribus posterioris aetatis interdum pro accusativo cum infinitivo subicitur.

Notatu dignus est denique particulae „quod“ usus post verbum „facio“ cum enuntiatione adverbiali aut adiectivi neutro coniunctum. enuntiato autem primario de re quae facta refertur in enuntiatione secundaria, iudicium exprimitur; conferas velim de hoc usu Draegerum

l. c. § 378, 8. Annaeana exempla habeto haec: d. VII 19, 1: „negant ex decreto Epicuri fecisse, quod sibi gulam praesecuit“. de ben. II 21, 4: „quid fecit laude dignum, quod furtum non recepit“. III 27, 4: „honeste fecit Caesar, quod ignovit, quod liberalitatem clementiae adiecit“. restant d. VII 20, 6; de ben. VI 13, 4; VI 14, 1; ep. m. 47, 19; 98, 16; 110, 12.

2) Procedamus nunc ad alterum, de quo iam monui, coniunctionis „quod“ usum secundum quem enuntiata a „quod“ pendentia non explicativam in se contineant potestatem, sed causam addant enuntiato primario. vix tamen impetro a me ut exempla huius generis ad certum numerum redigam computando. nam supra (p. 26) iam monui explicativam vim particulae et mere causalem non ubique ita distingui posse ut dubitatio exclusa sit. neque in animo est discrimen illud quod hic quoque inter causam realem et moventem statuunt grammatici denuo illustrare (cf. supra p. 9 sq.). quae autem notionis mere causalis exempla habenda esse crediderim, haec sunt: d. I 3, 5 et 6, I 3, 7; I 3, 8; I 3, 12; I 4, 3; IV 10, 1[1]); IV 25, 2; V 3, 5; V 8, 3; V 20, 1; V 35, 2; VI 22, 7; VI 24, 3; VI 26, 2; VII 25, 2; X 17, 2; XI 5, 1; XI 9, 5; XII 4, 2; XII 9, 5; XII 18, 7; de clem. I 15, 2; I 25, 3; de ben. II 29, 2; IV 18, 3; VI 4, 6; VI 15, 2; VI 36, 2; n. qu. I 17, 1; IV 2, 10; IV 7, 2; IV 11, 1; IV 13, 3; VII 25, 6; ep. m. 22, 7; 58, 16[2]); 65, 23; 66, 53; 70, 15; 71, 22; 72, 3; 73,

---

[1]) sequor Gertzii coniecturam quam proposuit (stud. crit. p. 86): „quid si illis irasci velis, qui labuntur, quod aegrotant, senescunt, fatigantur“. cod. A praebet „velis quod ęgrotant?“ e. q. s.

[2]) interpungendum est cum H. A. Kochio (Fleckeiseni annal. 1875 p. 718): „primum illud quod est nec visu nec tactu nec ullo sensu comprenditur: cogitabile est, quod generaliter est“ e. q. s. plenius distinguunt post cogitabile est editores.

13; 77, 3; 86, 11; 88, 1; 91, 3; 97, 16; 99, 26; 99, 30; 108, 34; 113, 19; de rem. fort. XI 2; XIII 1 [1]).

Unum afferre possum exemplum, in quo enuntiatum causale ex „quod“ particula suspensum coniungitur cum altero membro causali, aliter tamen formato. „et quod“ causae per pronominis ablativum expressae alteram adnectit: ep. m. 93, 11: „hoc est vita quorundam longa et quod sequitur Tanusii annales“.

Deinde nonnumquam „quod“ particula enuntiatum causale introducens spectat ad praecedentia pronomina correlativa. sexies pertinet ad ablativum „eo“ ante comparativos collocatum: de clem. I 11, 3: „nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, eo maius est mirabiliusque, quod nulli unquam citius gladius commissus est“. de ben. III 19, 4; n. qu. IV 13, 11; ep. m. 50, 8; 97, 15; 99, 6. ter legitur „eo magis, quod“: d. I 1, 4; „suo ista tempori reserventur, eo quidem magis, quod tu non dubitas de providentia“ e. q. s. ep. m. 21, 13; 40, 13. ablativus „hoc“ cum comparativo coniunctus praecedit: d. VI 16, 7: „a*t* hoc iniquior fortuna fuit, quod non tantum eri-

---

[1]) d. XII 12, 1 restituit Gertzius: „immo nescio an eo laetiores sint (sc pauperes), quo (cod. A: quod) animus illorum in pauciora distringitur“. de ben. IV 8, 1 codicem N gravissimis esse inquinatum corruptelis haec legenti manifestum erit: „Liberum patrem (sc. hunc putant), quia omnium parens est, quod primum inventa seminum vis est consultura per voluptatem“. ex magna coniecturarum copia duas tantum afferam, Gertzii (ex edit. librorum de ben. et de clem. p. 218) et Rossbachii (l. c. p. 119 adn. 16). quorum ille proposuit: „Hunc et Liberum patrem et Herculem *et* Mercurium nostri putant. Liberum patrem, quia omnium parens est, quoi primum inventa seminum (sc. humanorum) vis est *et* consitura per voluptatem“, hic eam sanandi viam ingressus est ut scriberet: „quod primum inventa seminum vis est <ei> consitura per voluptatem“ vel „quod primum inventa seminum <ei> vis est consitura per voluptatem“.

puit filios, sed elegit". VII 18, 3; ep. m. 4, 2; „hoc magis . . . quod" invenimus ep. m. 73, 14: „et hoc se magis suspicit, quod" e. q. s. „hoc ipso . . . quod" occurrit d. VIII 3, 5: „sic quisquis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat". ter praecedit „ideo": ep. m. 88, 30: „bonum autem suum ideo maxime, quod alicui bono futurum est, amat." ep. m. 55, 8; d. II 12,2; de ben. II 13, 3 [1]). paululum ab his distant nonnulla exempla, in quibus „ideo" magis ad antecedentia sit referendum causaque quae iam superioribus continetur per enuntiatum ex „quod" particula suspensum repetatur. praecipit igitur quodam modo causam scriptor quam mox denuo prolaturus est. quae ratio tribus perspicua fit locis: de ben. II 18, 8: „quaedam prosunt nec obligant: tuber quidam tyranni gladio divisit, qui ad occidendum eum venerat; non ideo illi tyrannus gratias egit, quod rem, quam medicorum manus reformidaverant, nocendo sanavit". de ben. VI 8, 1: „sic quidam nobis prosunt, dum nolunt, immo quia nolunt, non tamen ideo illis beneficium debemus, quod perniciosa illorum consilia fortuna deflexit in melius". d. VII 25, 1: „in sublicium pontem me transfer et inter egentes abice: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consedero, qui manum ad stipem porrigunt". singulari porro propter verborum collocationem mentione dignum videtur ep. m. 45, 3: „ceterum quod libros meos tibi mitti desideras, non magis ideo me disertum puto, quam formosum putarem" e. q. s. praecedens enuntiatum ex particula „quod" aptum posthac sequente correlativo „ideo" nititur. decies quater causalis particula „quod" sequitur

[1]) recepi Gertzii coniecturam: „uno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolentia perdant, si ostenderimus non ideo videri maiora, quod tumultuosius data sunt", quippe quae propius accedat ad codicis N scripturam „quo" quam quia illud vulgatae.

membrum correlativum per „ob“ praepositionem formatum. repperi enim quinquies „ob hoc . . . quod“: d. XII 13, 7: „poterat ob hoc moleste ferre, quod sciebat neminem id ausurum puri oris“. de ben. V 24, 2; n. qu. V 11, 1; ep. m. 39, 6; 91, 17. „ob hoc ipsum . . . quod“ legimus quater: d. IV 11, 1: „primum ira, si quantum minatur valet, ob hoc ipsum, quod terribilis est, et invisa est“. d. XI 18, 3; ep. m. 74, 20; 78, 9; item quater dixit scriptor: „ob hoc unum . . . quod“: ep. m. 91, 13: „Timagenes felicitati urbis inimicus aiebat Romae sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret“ e. q. s. de ben. II 21, 5; ep. m. 20, 7; 39, 5; semel „ob id . . . quod“ n. qu. V 14, 2: „illic quoque nihilo minus ob id sunt, quod non videntur“. semel comparet „propterea quod“ apocol. p. 231, 26 ed. Buech. comprobo enim quod legitur ex Buecheleri emendatione: „Silanum enim generum suum occidit propterea quod (cod. S „oro per quod“, Lipsius „propter quid?“) sororem suam festivissimam omnium puellarum . . . maluit Iunonem vocare“.

Latius manat per Senecae scripta is usus quo „quod“ iungitur cum verbis quae animi affectum significant ut „irascor“ „miror“ alia, quibus statim liceat subiungere verba „laudandi“ „reprehendendi“ similia. age enumeremus verba ex litterarum ordine disposita: „doleo . . . quod“ d. VII 15, 6: „ignoratio condicionis est suae dolere, quod deest aliquid aut incidit durius“. „dolet mihi . . . quod“ n. qu. IV 13, 3: „nobis dolet, quod spiritum, quod emere solem non possumus“. „fleo quod“ d. VI 22, 8: „fles, quod alicui tuorum mori necesse fuit? d. IX 16, 4; ep. m. 104, 11; 77, 11 recte scripsit Madvigius (adv. crit. II p. 487): „nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui flebit, quod ante annos mille non vixerit (codd. vixerat)? aeque stultus est, qui flet, quod post annos mille non vivet“. „gaudeo . . . quod“ d. V 13, 3:

„quidni gauderet, quod iram suam multi intellegerent, nemo sentiret?“ de clem. I 9, 7; de ben. II 35, 4; ep. m. 5, 1; 29, 7; 99, 3; huc pertinet etiam de rem. fort. XIV, 1: „naufragium feci. cogita non quid perdideris, sed gaude, quod evaseris.“ quo loco sequor Rossbachium „gaude“ ante „quod“ inserentem idque propter concinnitatem cum verbis quae deinceps sequuntur ibid. XIV, 2: „noli queri quod incideris, gaude quod effugeris“. d. XI 10, 6 vide infra sub „moveor quod“. „gemo . . . quod“ de ben. VI 32, 2: „gemens, quod non illa silentio pressisset, quae tam diu nescierat.“ de rem. fort. XI, 3: „demens gemis, miserum te clamitas, quod opibus excussus es“. ubi apparet enuntiatum ex „quod“ suspensum ad utrumque verbum „gemis“ et „miserum te clamitas“ referendum esse. „male habeo . . . quod“ occurrit ep. m. 122, 14: „itaque male habent, quotiens faciunt, quod excidat fama“. „indignor . . . quod“ d. II 17, 2: „Chrysippus ait quendam indignatum, quod illum aliquis vervecem marinum dixerat“. de ben. IV 2, 4. „indigne fero . . . quod“ d. II 2, 1: „nuper cum incidisset mentio M. Catonis, indigne ferebas, . . . quod Catonem aetas sua parum intellexisset“ e. q. s. „infestus sum . . . quod“ d. VI 3, 3: „invisâ haerebis in luce et aetati tuae, quod non praecipitet te quam primum et finiat, infestissima eris“. „irascor . . . quod“ d. II 18, 4: „a*t* idem Caius omnia contumelias puta*ba*t . . . iratus fuit Herennio Macro, quod illum Caium salutaverat“. d. V 30, 2; V 31, 1; V 37, 2; V 8, 6; de ben. II 3, 2. ex reliquorum grege eximatur d. III 20, 8, ubi legitur „quodque“ praecedente altero „quod“: „sicut C. Caesar, qui iratus caelo, quod obstreperet pantomimis, . . . quodque com*i*ssatio sua fulminibus terreretur“ e. q. s. „laetor . . . quod“ ep. m. 52, 11: „quid laetaris, quod ab hominibus his laudatus es?“ „miror . . . quod“ d. XII 19, 6: „post

hoc nemo miratur, quod per sedecim annos . . . nunquam in publico conspecta est". n. qu. III 4: „miramur, quod accessionem fluminum maria non sentiant: aeque mirandum est, quod detrimentum exeuntium terra non sentit". ipsa exscripsi verba exempli quippe in quo primum coniunctivus modus, dein indicativus eidem „mirandi" verbo aptatus sit. n. qu. III 10, 2; ep. m. 20, 10; 121, 6. „non mirum quod" dixit apocol. VIII, 1: „non mirum quod in curiam impetum fecisti" e. q. s. ep. m. 95, 19. „moereo . . . quod" ep. m. 114, 25: „moeretque quod magna pars suae felicitatis exclusa corporis angustiis cessat". „moveor . . . quod" d. XI 10, 6: „nec enim quicquam minus inter se consentaneum est quam aliquem moveri, quod sibi talis frater parum diu contigerit, non gaudere, quod tamen contigerit". „movet me . . . quod" d. VI 19, 4: si quod decessit (ex antecedentibus suppleas „te movet"), semper debuisti dolere". „odi . . . quod" de clem. I 18, 2: „quis non Vedium Pollionem peius oderat quam servi sui, quod muraenas sanguine humano saginabat" e. q. s. item de ben. II 29, 2. „placeo mihi quod" d. II 14, 2: „ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod ostiario libere respondit, quod virgam eius fregit, quod ad dominum accessit et petiit corium". „aliquem me puto quod" repperi d. V 37, 3: „nunc iste se aliquem putat, quod custodit litigatorum turba limen obsessum". „queror . . . quod" d. XII 18, 9: „illo vivo nefas est te, quod vixeris, queri". de ben. I 1, 11; II 27, 4; II 29, 1; III 4, 1; VII 10, 4; ep. m. 74, 11; 104, 7. semel, ne hoc silentio praetermittam, affectus verbo eadem ratione ac „quod" subiectam legi particulam „si" d. II 17, 3: „quid, quod offendimur, si quis sermonem nostrum imitatur" e. q. s. sed nolim praestare nullum me huius generis exemplum subterfugisse.

Iam afferenda sunt verba „laudandi" „reprehendendi"

similia: „gratias ago . . . quod" conspicimus d. VI 13, 3: „contionatus est tamen et egit dis gratias, quod compos voti factus esset"; de ben. V 7, 5: „Platon, inquit, agit Socrati gratias, quod ab illo didicit". de ben. II 29, 3; V 11, 2; VI 31, 11; n. qu. IV praef. 16; ep. m. 7, 5; 12, 10; 30, 12; 40, 1; 67, 2; „gratulor . . . quod" de ben. II 3, 2: „ego vero gratulor mihi, quod experiri animum meum *tibi* libuit". ep. m. 75, 6. „laudo . . . quod" de ben. V 9, 2: „quis unquam laudatus est, quod sibi ipse fuisset auxilio?" „obicio . . . quod" d. VII 27, 5: „obicite Platoni, quod petierit pecuniam, Aristoteli, quod acceperit, Democrito, quod neglexerit, Epicuro, quod consumpserit". hoc quoque loco (cf. supra p. 30) quattuor membra posuit scriptor per anaphoram. „obiurgo . . . quod" usurpavit Seneca de ben. II 21, 5: „et obiurgantibus iis, qui non aestimant mittentes sed missa, quod repudiasset" e. q. s.; ep. m. 36, 1.

Admodum frequens est apud Senecam etiam formula „non est quod", rarior „habeo quod". legimus igitur „non est quod" centies quater: d. II 6, 3: „non est itaque, quod audax iudices promissum, cuius tibi, si parum fidei habeo, sponsorem dabo". d. II 6, 4: „non est quod dubites, an attollere se homo natus supra humana possit" e. q. s. haec ex magna exemplorum multitudine ipsis verbis protulisse satis sit, reliqua subiungo ex ordine scriptorum: d. II 6, 7; II 6, 10; II 8, 1; II 16, 2; II 16, 3; III 3, 5; III 20, 6; III 20, 6; IV 13, 1; IV 13, 1; IV 29, 4; V 3, 5; V 25, 3; V 25, 3; VI 5, 1; VI 10, 2; VI 18, 9 (sequor numeros Gertzii qui Madvigio praeeunte finem capitis XVII transposuit post caput XVIII); VI 21, 6; VI 25, 1; VII 2, 1; VII 20, 1; VII 24, 4; VII 25, 6; IX 1, 3; IX 1, 16; X 2, 5; X 7, 6; X 7, 10; X 8, 4; X 12, 1; XI 8, 2; XI 10, 4; XII 4, 3; XII 16, 1; XII 16, 2; de ben. I 9, 1; II

30, 2; II 34, 1; III 28, 2; IV 23, 4; IV 28, 6; V 6, 1; V 15, 2; V 17, 3; VI 27, 7; VI 31, 10; VI 32, 4; VII 16, 5; VII 26, 2; VII 28, 3; n. qu. I 2, 3; II 24, 2; II 26, 1; III 14, 2; VI 31, 1; VII 17, 2; ep. m. 7, 9; 7, 9; 9, 22; 16, 2; 16, 7; 17, 6; 18, 7; 21, 9; 22, 4; 22, 7; 23, 11; 27, 6; 31, 5; 33, 3; 36, 2; 39, 1; 43, 1; 46, 3; 47, 16; 47, 17; 51, 7; 53, 7; 53, 9; 55, 8; 56, 8; 68, 3; 68, 9; 68, 14; 70, 19; 70, 19; 71, 17; 79, 4; 91, 16; 91, 19; 94, 20; 94, 20; 94, 60; 94, 67; 97, 19; 99, 20; 105, 29; 110, 5, 110, 12; 113, 28; 113, 28; 113, 31; 117, 15. „habeo quod" sexies deprehenditur; d. I 6, 3: „quid habetis, quod de me queri possitis, vos, quibus recta placuerunt?" d. II 2, 2; VI 20, 2; ep. m. 79, 12; 94, 20; 104, 32.

„quid est quod" repperi quater: ep. m. 13, 6: „quid est quod trepident, quod contagium quoque mei timeant?" n. qu. III 4; de rem. fort. II 2; XIII 2. semper his in formulis particulae „quod" coniunctivum videmus adiunctum, cum Latini qualis vis et natura sit causae allatae premere studeant, ut nostro sermone haud inepte ita possis convertere: „es ist etwas von der Art vorhanden, dass". conferatur praeterea Kuehnerus qui de hoc usu commentatur l. c. § 192, 3 a.

„sed quod" sexies usurpavit Seneca, ut causam falsam ideoque negative expressam corrigeret: de ben. II 35, 4: „gaude, non quod accipias, sed quod reddas debiturusque sis". VI 13, 4: „itaque debeo, non quod redimis me, sed quod eligis". ep. m. 67, 16: „quidni [hoc] optabile sit? [*optabile*] autem, non quod urit me ignis, sed quod non vincit". 87, 39: „non quod habeat dicitur (sc. paupertas), sed quod non habeat". de ben. IV 7, 1: „qui non ... ex eo, quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stitit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator stabilitorque est". ep. m. 81, 19: „nemo non, cum alteri

prodest, sibi profuit, non eo nomine dico, quod volet adiuvare adiutus . . . sed quod virtutum omnium pretium in ipsis est“.

falsa causa introducitur, ut cognovimus supra, quater per „non quod“, semel per „non ex eo quod“, item semel per „non eo nomine quod“. duobus locis, qui sunt de ben. II 35, 4 et ep. m. 87, 39, coniunctivum posuit in protasi et apodosi, sed quid velit coniunctivus facile intellegitur lege orationis obliquae. coniunctivus enim modus, qui sequitur verba affectuum, ponitur ex mente dicentis.

Agmen claudat formula „quid quod“ quam brevius dictam putant pro „quid dicam de eo quod“. utuntur autem hac scriptores, cum ad novam orationis partem transeunt. Seneca tricies quater eam adhibuit: d. II 17, 3: „quid, quod offendimur, si quis sermonem nostrum imitatur“ e. q. s. d. III 13, 5; III 17, 3; IV 11, 3; IV 16, 2; IV 22, 4; V 28, 4; VII 8, 1; VIII 1, 1; X 17, 3; XII 1, 3; de ben. III 9, 1; III 10, 3; n. qu. II 21, 2; II 31, 2; II 32, 1; III 7, 3; IV 2, 23; V 18, 3: V 18, 4; VI 27, 3; VI 28, 1; VII 15, 1; VII 25, 4; ep. m. 40, 4; 40, 5; 78, 14; 86, 13; 88, 37; 94, 22; 94, 23; 94, 27; 95, 12; de rem. fort. IX 2.

Ut de modis „quod“ particulae adiunctis quae memoratu digna videntur paucis comprehendam, cum aliorum scriptorum dicendi consuetudine Seneca vix discrepat. numeri mihi enotati nisi fallunt, post verba, quae animi affectum significant, tricies quater indicativum, vicies novies coniunctivum posuit, post verba „laudandi“ „reprehendendi“ decies indicativum adhibuit, octies coniunctivum. coniunctivo nihil inesse inusitati modo monui, ubi de modis egimus post „non quod“ adhibitis. post „nisi quod“ formulam semper modus indicativus legitur sine ulla librorum discrepantia. formulae „non est quod“

„habeo quod“ semper excipiuntur coniunctivo, etiam d. X 1, 1, ubi si recte se haberet librorum scriptura, in eodem enuntiato a verbo „conqueri“ penderet primum indicativus, deinde coniunctivus. at recte Gertzius Paulyo praeeunte (*Ztschr. f. oestr. Gymn.* 1876 p. 813) coniunctivum restituit. legendum est: „Maior pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aevi gign*a*mur (codd. gignimur), quod haec tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant“.

§ 3.

Quoniam.

„Quoniam“ particulam septuagies ter in Senecae scriptis invenimus iunctamque semper cum indicativo, nisi quod semel de ben. IV 8, 3 ponitur coniunctivus, de quo infra monebo.

Significatio particulae „quoniam“ (= quom iam cf. Schmalzium l. c. § 276) ut apud reliquos scriptores sic apud Senecam ea est, ut afferat causam aliquam, sed causam omnibus, vel saltem eis, quibuscum colloqueris, satis cognitam vel concessam quaeque ad enuntiati primarii actionem accuratius explanandam pertineat. hanc autem esse principalem huius particulae vim recte comprobat Draegerus quoque l. c. § 532. nostro dicimus sermone: „da nun einmal“, „da ja“, „da zugestandenermassen“. quae ratio ut clare patefiat in Annaeo, iuvat proficisci ab ep. m. 6, 7: „interim quoniam diurnam tibi mercedulam debeo, quid me hodie apud Hecatonem delectaverit, dicam“. manifesto enim hoc loco respicit scriptor rem Lucilio, ad quem datae sunt epistulae, bene compertam. cotidie enim epistulis suis tale lucellum addit ex Stoicorum, Epicureorum aliorumque philosophorum

placitis depromptum. cf. ep m. 8, 7: „sed iam finis faciendus est et aliquid, ut institui, pro hac epistula dependendum“ vel 10, 5: „sed ut more meo cum aliquo munusculo epistulam mittam“ e. q. s. etiam manifestior res est hoc exemplo: ep. m. 76, 7: „quare unum sit bonum, quod honestum, dicam, quoniam parum me exsecutum priori epistula iudicas“ e. q. s. respicitur igitur ad epistulam, qua questus erat amicus, quod Seneca disputationem, quam de bono et honesto instituerat ad finem non perduxisset. optimo ergo iure vertemus: „da ja“, „da zugestandenermassen“. denique hoc exemplum dignum videtur, quod ex reliquorum grege eximatur, n. qu. V 4, 1: „quo modo ergo, inquis, fiunt venti, quoniam hoc [modo] negas fieri?“ eandem vero rationem sequuntur loci hi quos numeris indicasse sufficiat: d. I 1, 1; I 4, 4; II 8, 2; III 8, 1; IV 12, 2; IV 24, 1; V 5, 5; VI 12, 3; VI 18, 9; VII 5, 2; VII 6, 1; VII 24, 5; VII 25, 1; VIII 5, 8; IX 8, 9; IX 10, 5; XII 20, 1; de clem. I 2, 1; II 7, 2; apocol. III 3; de ben. I 9, 5; II 19, 1; II 30, 2; III 18, 3; III 36, 1; IV 8, 3; IV 9, 1; IV 10, 2; IV 18, 1; IV 18, 2, quo loco contra Muretum et Kochium cum Gertzio defendendam credo codicis N scripturam, ut legatur: „fac nos singulos, quid sumus? praeda animalium et victimae ac bellissimus (Muretus: vilissimus) et facillimus sanguis; quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est, quaecunque vaga nascebantur et actura vitam segregem, armata sunt, hominem imbecilla *cutis* cingit, non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit, nudum et infirmum societas munit.“ accuratius de hoc loco disputavit Gertzius in appendice critica, quam addidit libris de ben. et clem. p. 223, ubi οἰκονομίαν periodi „quoniam ... societas munit“ diligenter demonstravit. sed pergo locos enumerare: de ben IV 33, 2: VI 41, 2; VI 43, 1; VII 9, 1; VII 20, 3; n. qu.

II 34, 4; III 27, 11; ep. m. 24, 7; 30, 2; 31, 7; 57, 9; 66, 39; 71, 16; 81, 5; 92, 17; 95, 47; 97, 14; 104, 2; 108, 16. ad locum de ben. VI 9, 2 cf. quae adnotavit Gertzius.

Nec tamen prorsus desunt exempla, ubi principalis illa quam diximus vis nostrum si consulimus iudicium minus accurate servata esse videatur, vel ut rectius dicam, ubi cur „quoniam“ praetulerit scriptor minus facile esse perspectu nobis confitendum sit. huc rettulerim locum qui legitur n. qu. V 17, 1: „placet autem duodecim ventos esse, non quia ubique tot sint, ..., sed quoniam nusquam plures sunt. sic casus sex dicimus, non quia omne nomen sex recipit, sed quia nullum plures quam sex“. hoc exemplum eo magis notatu est dignum, quod nescio an moniturus sit quispiam, quam prope accedat hoc in enuntiato „sed quoniam“ ad succedentis particulae „sed quia“ significationem. at si verum quaeris, principalis illa vis ne hoc quidem loco deseritur. praecipit scriptor membro „sed quoniam nusquam plures sunt“ rem tamquam ab omnibus concessam, quia similitudo qua illam comprobaturus est animo iamiam obversatur. „placet“ autem verbo quo usus est liquido docet et aliorum sententiae se addicere scriptor neque visum sibi esse aliquid novi quodve abhorreat ab ceterorum iudicio protulisse. eo autem minus erit cur haereas in tali exemplo: d. IX 9, 5: „non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria, immo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparaverant, sicut plerisque ignaris etiam *pu*erilium litterarum libri non studiorum instrumenta, sed cenationum ornamenta sunt“.

Apte huic loco inserimus notabilem „quoniam“ particulae usum, qui non tam commutet coniunctionis significationem, quam ita usurpatum ostendat „quoniam“, ut causam afferat sententiae suppressae quamque scriptor

voluit a legentibus suppleri. habes exemplum d. VII 5, 1: „quoniam liberaliter agere coepi, potest beatus dici, qui nec cupit nec timet beneficio rationis (quoniam et saxa timore *et* tristitia carent nec minus pecudes, non ideo tamen quisquam felicia dixerit, quibus non est felicitatis intellectus e. q. s.)." hoc loco, ut sequar Gertzii explanationem, quam dedit stud. crit. in Senecae dial. p. 124, „quoniam" eodem adhibetur modo, quo apud Graecos „ἐπεί" et „γάρ", apud Latinos „nam" saepissime usurpari omnes sciunt, ut causa sententiae addatur suppressae. causam videlicet Seneca affert, cur in beati hominis definitione non simpliciter sic locutus sit, ut diceret: „potest beatus dici qui nec cupit nec timet", sed duo illa verba „beneficio rationis" adiecerit; igitur „quoniam" breviter dictum est pro eo, quod est: „haec verba finitioni meae adieci, quoniam". nostro sermone, ut hanc reddamus sententiam, haec duo verba „beneficio rationis" repetere debemus sic vertentes: „glücklich kann geheissen werden, wer weder Wünsche hegt noch Furcht dank der φρόνησις; dank der φρόνησις, da ja auch Felsen" e. q. s. simile in exemplum apud Senecam uno praeterea loco incidimus, qui est n. qu. IV 13, 3, ubi tamen illa simplex vertendi ratio non sufficit, sed longioribus verborum ambagibus opus est. legitur enim: „nos vero quaeramus potius, quomodo fiant nives quam quomodo serventur, quoniam non contenti vina diffundere, veteraria per sapores aetatesque disponere invenimus, quomodo stiparemus nivem, ut ea aestatem evinceret" e. q. s. hoc loco Seneca per enuntiatum a „quoniam" pendens accuratius exponit, cur verbis „nos vero . . . nives" adiecerit subsequentia „quam quomodo serventur". fortasse non incommoda videtur huius modi interpretatio: „wir wollen lieber untersuchen, wie der Schnee entsteht, als wie er aufbewahrt wird; ich sage: als wie er aufbewahrt wird, da ja" e. q. s.

Ex principali particulae „quoniam“ significatione etiam ei loci suam lucem accipiunt, ubi „quoniam“ ad particulae temporalis vim adspirare videtur, sed videtur tantum. facile enim apparet etiam in eiusmodi locis causalem vim manere immutatam, licet vernaculo sermone interpretari soleamus „nachdem“. ut autem melius intellegatur qua tandem ratione in transitionis formulis sedem occupaverit „quoniam“, haec verba interest adscribi d. XII 14, 1: „quoniam meo nomine nihil habes, mater carissima, quod te in infinitas lacrimas agat, sequitur, ut causae tuae te stimulent. sunt autem duae“ e. q. s. scriptor paucis complectitur, quid effecerit antecedenti disputatione qua exposuit se exsulem matri dolori non esse, ut haud inepte nobis vertere liceat „nachdem“, modo teneatur etiam hoc loco particulae vim esse mere causalem. nunc adspice quam nihil discriminis intercedat hunc locum inter et eos quibus a priore quadam disputationis parte brevius transitur ad novam, velut: d. II 10, 1: „quoniam priorem partem percurrimus, ad alteram transeamus“. IV 18, 1: „quoniam quae de ira quaeruntur tractavimus, accedamus ad remedia eius“. VII 5, 1: „quoniam liberaliter agere coepi, potest“ e. q. s. n. qu. I 7, 1: „quoniam, inquis, vitri fecisti mentionem, ex [hoc] ipso contra te argumentum sumam“. II 2, 1: „quoniam dixi de partibus . . . quaedam in commune dicenda sunt“ e. q. s. II 22, 1: „quoniam constat utramque rem igneam esse, videamus“ e. q. s. verbo „constat“ perfecti vis inest. IV 4, 1: „quoniam coepi tibi molestus esse, quicquid in hoc loco quaeritur dicam“. V 1, 5: „nunc ad ipsam rem accedamus, quoniam satis de formula disputatum est“. hoc loco Seneca utitur particula „quoniam“, ut a digressione ad propositum redeat. idem cadit in ep. m. 70, 22; 106, 11; 108, 17; 108, 39; 114, 24. cum vero respiciatur eiusmodi enuntiatis id quod in prioribus dixit

scriptor, ipsi rei conveniens est quod tempus perfectum cum particula coniungitur. etiam supra d. XII 14, 1 dicere poterat scriptor exempli gratia; „quoniam meo nomine nihil te habere demonstravi“, at brevius dixit quod eodem redit: „quoniam — nihil habes“.

Apud Ciceronem haud raro „quoniam“ particulae „quidem“ adiungitur, quod etiam in Senecae libris vicies semel potest observari. apud Suetonium et Quintilianum nusquam, apud Tacitum semel tantum legimus „quoniam quidem“, si eorum licet confidere observationibus, quorum libellos supra laudavimus (p. 6). loci Annaei in censum veniunt hi: d. I 1, 5: „amicitiam dico? immo etiam necessitudo et similitudo, quoniam quidem bonus tempore tantum a deo differt, discipulus eius“ e. q. s. IV 11, 4: „nec ideo iram magnum quiddam putet, quia formidini est, quoniam quidem etiam contemptissima timentur“. d. VII 1, 2; X 2, 5; X 15, 4; XI 18, 1; XII 12, 4; de clem. I 2, 1; de ben. II 1, 4; V 3, 2; VII 29, 1; n. qu. II 10, 4; VI 2, 1; ep. m. 26, 1; 29, 8; 45, 11; 66, 27; 74, 14; 95, 40; 99, 31; 108, 16.

Iam vero unum exstat exemplum, in quo particula „quoniam“, ut „quod“ aut „quia“, spectat ad praecedens correlativum „ideo“, qui usus, rarus etiam apud Annaeum, num in numero proprietatum Annaeani generis dicendi habendus sit videant me doctiores. re vera autem praeparatur membrum a „quoniam“ dependens per „ideo“ ep. m. 76, 5: „perge, Lucili, et propera, ne tibi accidat, quod mihi, ut senex discas: immo ideo magis propera, quoniam id nunc adgressus es, quod perdiscere senex vix possis“. aliter autem res se habet: de ben. V 12, 7 et ep. m. 74, 19, quibus in exemplis „ideo“ non ad id quod subsequitur, sed potius ad superiora spectat. fortasse iam collocatio verborum quae ea est, ut „ideo“ enuntiati teneat principium, potest indicare, quomodo quaestio nobis

sit decernenda. causa quae inest in antecedentibus repetitur postea per subsequens enuntiatum ex „quoniam“ suspensum. conferas quaeso ipsa exempla. de ben. V 12, 7: „ergo nihil potest ad malos pervenire, quod prosit, immo nihil, quod non noceat; quaecumque enim illis contigerunt, in naturam suam vertunt et extra speciosa profuturaque, si melioribus darentur, illis pestifera sunt. ideo nec beneficium dare possunt, quoniam nemo potest, quod non habet, dare“ e. q. s. ep. m. 74, 19: „paucis deponere felicitatem molliter licuit. ceteri cum iis, inter quae eminuere, labuntur et illos degravant ipsa, quae extulerant. ideo adhibebitur prudentia, quae modum illis aut parsimoniam imponat, quoniam quidem licentia opes suas praecipitat atque urget“.

Post ea quae supra de principali particulae significatu dixi, vix mirum videbitur quod exstat etiam locus, ubi „sed quoniam“ introducit id enuntiatum quo vera causa continetur indubitataque, cum ficta et quasi per coniecturam posita afferatur per „non quia“ cum coniunctivo. est locus, cuius iam supra propter aliam causam mentionem iniecimus n. qu. V 17, 1: „placet autem duodecim ventos esse, non quia ubique tot sint, quosdam enim inclinatio terrarum excludit, sed quoniam nusquam plures sunt“.

Fortasse hac occasione oblata operae pretium est addi aliquid de singulari quadam enuntiati a „quoniam“ particula pendentis collocatione. bis enim hoc enuntiatum quasi in parenthesi appositum ad unam vocem explicandam spectare videtur, ut tamen re vera ad totam sententiam sit referendum, qua artificiosiore membrorum collocatione Seneca principalem enuntiati sententiam eo clarius ante oculos ponit. en exemplum de ben. IV 6, 1: „si pecuniam tibi aliquis donaverit et arcam tuam, quoniam tibi id magnum videtur, impleverit, beneficium vocabis“. „quoniam . . . videtur“ ad totam enuntiati sententiam

spectat. sed his ipsis „quoniam . . . videtur“ inexspectate interpositis id efficit scriptor, ut quam inane sit istius modi donum, quo arca impleatur, eo luculentius demonstret. similiter res se habet de ben. IV 32, 2: „regnent hi, quia vir bonus quidam ante proavus eorum fuit, qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione civili, quoniam ita expediebat rei publicae, vinci quam vincere maluit“. membrum „quoniam . . . rei publicae“ causam suggerit enuntiato „qui . . . vinci quam vincere maluit“. collocatione artificiosiore nihil spectat Annaeus, nisi ut antithesi, quam in animo habet, „vinci quam vincere maluit“ legentes eo fortius commoveat. simile quid observare datur in enuntiatis a „quia“ pendentibus. sed de re per se clara et aperta semel monuisse sufficiet.

De modorum post „quoniam“ usu nihil fere habeo quod addam. non differt Seneca a more reliquorum. ubique igitur indicativum adiunxit praeter locum de ben. IV 8, 3: „si, quod a Seneca accepisses, Annaeo te debere diceres vel Lucio, non creditorem mutares, sed nomen, quoniam, sive praenomen eius sive nomen dixisses sive cognomen, idem tamen ille esset“. quem coniunctivum ex oratione condicionali explicandum esse neminem praeterit.

Denique scire velim lectores de ben. VI 9, 2, quo loco Fickertus et Haasius praebent: „nec his tamen beneficium debemus, quoniam extra sensum officii casus est“, e codice N „quia“ restitutum esse a Gertzio, quod quam recte se habeat in propatulo est.

§ 4.
Quando.

„Quando“ particula causalis apud Senecam quinquies tantum eaque cum indicativo coniuncta invenitur[1]).

[1]) „Quando“ particula composita est, si Schmalzium l. l. § 266 sequimur, ex „quam“ et voce enclitica „do“. Scherer in libello,

Accuratius definire huius particulae significationem olim conatus est F. A. Wolfius, qui cum ad Suet. Caes. c. 28 vim particulae cum graeco „ἐπειδή“ comparasset, ad Taciti Ann. I 57 hunc in modum disseruit: „*quando* non multum differt a causali *quod* seu *quia* latente quadam significatione temporis. ita autem continetur utraque vis, ut a temporis notione ad causae transeatur, siquidem quod certo aliquo tempore fit pro causa habetur alicuius rei instituendae“. quae explicatio quamquam in universum videtur probanda, tamen non omni ex parte exemplis Annaeanis confirmatur. semper enim particulae vis ea est, ut non tam accedat ad causalem „quod“ seu „quia“, quam a causalis coniunctionis „quoniam“ significatione prope absit. ne longus sim, in Senecae philosophi scribendi ratione diiudicanda quodam modo assentiri possumus Ruhnkenio, qui ad Ter Andr. IV 5, 23 „quando“ plane idem esse dicit atque „quoniam“. ut exempla afferam: d. X 7, 3: „denique inter omnes convenit nullam rem bene exerceri posse ab homine occupato, non eloquentiam, non liberales disciplinas, quando districtus animus nihil altius recipit, sed omnia velut inculcata respuit“. ep. m. 66, 8: „itaque vis eius (sc. virtutis) et magnitudo ultra non potest surgere, quando incrementum maximo non est“. idem cadit in d. IX 15, 3: „et universa contemplatus maioris animi est, qui risum non tenet, quam qui lacrimas, quando lenissimum adfectum animi movet et nihil magnum, nihil serium, ne miserum quidem ex tanto paratu putat“. XII 13, 6: „qui vero adversus saevissimos casus se extollit et ea mala, quibus alii opprimuntur, evertit, ipsas miserias in-

---

cui inscripsit „de particula *quando* apud vetustissimos scriptores latinos vi et usu“ Argent. ed. 1883 p. 15 „quando“ ortum esse censet adverbio temporali *„quodō“ et adverbio modali „quam“ ita inter se commixtis, ut „quam“ stirpem „quo“ loco demoverit.

fularum loco habet, quando ita adfecti sumus, ut nihil aeque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser". n. qu. III 29, 1: „illic solstitium, hic bruma conficitur: magnae potentiae signa, quando in ipsa mutatione anni momenta sunt".

„Quandoquidem" non nisi semel legimus apocol. p. 233, 27: „quando quidem divus Claudius occidit socerum suum Appium Silanum, generos duos Magnum Pompeium et L. Silanum . . . placet mihi in eum severe animadverti" e. q. s.

In modis, qui „quando" coniunctionem comitantur, nihil mihi occurrit, quod recedat ab usu vulgari; indicativus ponitur locis omnibus sine ulla librorum discrepantia.

Denique non inutile erit aliquantisper morari in loco de ben. III 26, 2, quo Fickertus et Haasius scripserunt: „quod factum simul et Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit, et servus eius, quando nectebantur insidiae, ei ebrio anulum extraxit". codex N exhibet „quo". removetur mendum si Grutero auctore cum Gertzio legitur „quoi", quam formam saepe usurpatam esse a Seneca ex multis locis apparet, quos collegit Gertzius dialogorum praefationis p. XXI. hanc scripturam „quoi" comprobat etiam Madvigius adv. crit. II p. 412, ubi dicit: „certissimae emendationi Gruteri... imperite obloquitur Fickertus, negans se quoi in Senecae codicibus repperisse. Ideo, quod, quo tempore nostri codices scripti sunt, desitum erat sic scribi, tantum vestigia supersunt in mendis inde ortis, quae non pauca repperisset, si intellexisset Vid. vol. I p. 68; de tranqu. an. 8, 8." perite nuperrime de formae „quoi" apud Annaeum usu disputavit etiam O. Rossbachius commentationis quam scripsit „de Senecae philosophi librorum emendatione et recensione" p. 119 c. VI, ubi et certa exempla, quibus „quoi" scriptura confirmatur, et vestigia eius paulo obscuriora habes collecta.

INDEX GRAMMATICVS